444 H 40
444
H
40
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

KW 444 H 40. 13.

# DISPUTATIO JURIDICA
*INAUGURALIS,*
DE
# CONTRACTIBUS INNOMINATIS;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
*Auctoritate Magnifici Rectoris,*
JOANNIS GEORGII GRÆVII,
Magnæ Britanniæ Regis Historici, Politices, Historiarum, & Eloquentiæ Professoris,
NEC NON
*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissimæ Facultatis JURIDICÆ Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in UTROQUE JURE, Honoribus & Privilegiis rite ac legitime consequendis,
*Publicè ventilandam proponit*

MICHAEL BORGESIUS. Groning.

*Ad diem* 12. NOVEMB. *loco horisque solitis.*




TRAJECTI ad RHENUM
Ex Officina GUILIELMI vande WATER, Academiæ Typographi, cIↃ IↃ cc.




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

*Amplissimo, Spectatissimoque*

VIRO

D. JOACHIMO BORGESIO,

J. U. D. Urbis Groningæ Concilii juratorum membro Dignissimo, Cameræ pupillari Præfecto æquissimo, prudentissimo, &c.

NEC NON

*Nobilissimo, Doctissimo VIRO*

D. GOEDHARDO BORGESIO

A. L. M. Philosophiæ Doctori, ejusdemque Facultatis, ut & Historiarum in illustri Illustrissimorum comitum Benthemiensium Schola, quæ Steinfurti est, Professori Ordinario, h. t. Rectori Magnifico:

Cognatis utrisque meis omni debito honore & amore prosequendis, amandis,

*Disputationem hanc Inauguralem*

D. D. D.

MICHAEL BORGESIUS, *Auth. & Resp.*

53.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40



# PRÆFATIO.



Undamentum omnis doctrinæ, cognitionis ac veræ scientiæ positum esse in eo, ut cognoscamus rerum rationes seu causas earumque origines; teste Cicerone, *lib.* 4. *Tusc. quæst.* ubi inquit: *Bene adhibita ratio cernit quid optimum sit: neglecta multis implicatur erroribus:* eademque ratione & experientia Magistra, nil verius constat: quare *Virgil. v.* 190. *l.* 2. *Georg.* ait, *Felix qui potuit rerum cognoscere causas.* Hinc quoque recte deducitur ex jure Naturali & Gentium, nec minus juri Civili conveniens regula communis, quod *Ratio sit anima legis*: Nam quemadmodum anima seu mens humana nostros moderatur ac regit artus, & actus, nec non totius compositi præ corpore partem nobilissimam facit: ita Ratio a summa ratione Divinitus nobis increata, recte consideratur tanquam Legis Anima, seu totius Corporis Jurisprudentiæ, quasi Norma, Moderamen, Origo & Causa: Rerum enim Ratio continet earum originem & causam, cum absque harum notitia, vix solida ratio reddi queat: ideoque si velimus recte jus Romanum seu aliquam ejus partem (quod enim de toto dicitur, id etiam de parte affirmatur) intelligere, antiqua fundamenta ab origine & causa sunt perscrutanda: Præsertim quoniam Leges seu jus Nostrum ubique solidis & legitimis nititur rationibus, si non semper Naturalibus & communibus, saltem Civilibus & Politicis istius temporis: quamvis sæpe postea non omnium, quæ a Majoribus constituta sunt, ratio a junioribus reddi potuerit *l.* 20. *ff. de leg.* quod tamen non excludit aliquam rationem exstitisse: imo non tantum jus, uti hoc satis apertum est; sed etiam compositio & divisio omnium librorum juris, non videntur a Religiosissimo Principe, nec minus superstitioso, absque ratione ita instituta ac digesta: quod ipse Cæsar testatur in *Præfat. ff. de confirm. dig.* §. 1. *in fin.* sc. *non perperam neque sine ratione; sed in numerorum naturam & artem respicientes & consentaneam eis divisionem partium facientes, harmoniam*

 moniam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

*moniam quandam observasse.* Ita ut totum corpus referat, quasi universitatem seu Microcosmum quendam: nam si considerare libeat, quare libri Institutionum præcise in 4. sint dispositi? Ipse Justinianus rationem præbebit: nempe *se jussisse Institutiones in quatuor libros partiri, ut sint totius legitimæ scientiæ prima elementa. Proœm. Inst.* §. 4. Quia sc: quatuor elementa naturalia omnium rerum corporalium hujus universi prima Principia existunt; quemadmodum 4. libri *Inst.* totius jurisprudentiæ principia continent. Vel etiam ad similitudinem quatuor anni temporum. &c: & sic conjectura verosimilis adjici posset, ob eandem rationem totum jus Justinianeum, in 4 partes generales, *Institutiones, Pandectas, Codicem, & Novellas* dispositum esse. Ita quoque in singulis partibus; quare Imp. 7. partes Pandectarum constituit? Nempe ad similitudinem septem Planetarum: huic enim numero mysticum quid inesse, putarunt veteres, *Macrob. l.* 1. *in somn. Scip. & d. loc. de conf. ff.* §. 1. Sic libri 50. cum bina divisione præfationis ff. circiter numero hebdomadarum conveniunt. Et Codicem in duodecim libros; quemadmodum 12. signa cœlestia in codice orbium solidorum (ut ita dicam) continentur: Ptolomæus enim & alii veterum ante Nobilem Astronomum Tychonem Brahæum, orbes solidos statuebant. Aut etiam ad similitudinem 12. mensium, &c. Novellæ vero omnium novissimæ & purissimæ, sphæræ primæ seu primo mobili respondere videntur: uti enim hoc, ex ratione Antiquorum, mixtura & stellis caret: ita Novellæ cum jure veteri non sunt commixtæ; verum simplicissimæ: & uti illud luminibus: sic liber Novellarum Titulis caret, qui enim exstant editi, non habent certum auctorem, sed omnes sunt nothi, ac delendi. Idem de jure Canonico observari posset, *v. Pac. in proleg. Inst. n.* 10. & sic in cæteris ratio investigari. Igitur libri Justinianei omnes Mundi partes quodammodo repræsentant: ac proinde nec hi (quamvis sæpe nimis superstitiose hujus operis Admiratores hac de re sentire videantur, cum omnia effata Imp: pro oraculis habeant) nec eorum numerus nec divisio possunt dici ratione carere. Ergo quod jam hic recreationis & E. G. adduxi, clare ostendit, ut videamus ex rebus minoris momenti, quantum prosit ac sæpe delectet (nam omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci) in rebus majoribus rerum rationes atque origines nosse. Ideoque cum illud lumen naturæ tanquam lux, omnis illustrationis, minime negligendum; sed ubique etiam in rebus minimis, bene observandum sit: eo magis erit operæ pretium hos contractus innominatos a prima sua ratione seu origine & causa deducere. Quam methodum

agendi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

agendi quoque eleganter docet JCtus in *l.* 1. *ff. de Orig. J.* Cujus verba sunt hæc: *sed in omnibus rebus animadverto id perfectum esse, quod ex omnibus suis partibus constaret. Deinde si in foro causas dicentibus nefas (ut ita dixerim) videtur esse, nulla præfatione facta: quanto magis interpretationem promittentibus inconveniens erit omissis initiis, atque Origine non repetita, atque illotis, (ut ita dixerim) manibus protinus materiam interpretationis tractare?* (& verbis huic loco etiam non inconvenientibus sic pergit) *Namque nisi fallor istæ Præfationes & libentius nos ad lectionem propositæ materiæ producunt, & cum ibi venerimus evidentiorem præstant intellectum.* Igitur nemo vitio vertat, me hic Imperatoria auctoritate prolixa uti Præfatione, eamque quodammodo extendere, atque de ratione Methodi, quam secutus sum in hac Dissertatione, ipsiusque Tituli, aliquid adjicere: Ne forsan Frontispicium cum ratio Tituli lateret offendat. Nimirum hic potius sequor Doctorum consuetudinem quam LL. expressam authoritatem: Cum præbeant quoque convenientem aut saltem tolerabilem denominationem: DD. enim gaudent hos contractus *Innominatos* nuncupare, non obstante, quod Juris N. Conditores, hac innominata significatione nequaquam utantur; verum plerumque dicere soleant, ita contractus seu negotium, ex *Causa* obligationem & actionem producens, vel interveniente *causa* subsistens: vel negative, *negotia, quæ non habent suum nomen, &c. tot. tit. de Rer. Permut. & tit. de præscr. verb.* & alibi. Hos autem ab opposito, innominatos dicere, cum cæteri nominati & nomen suum habere dicantur, *l.* 1. §. 2. *ff. de Rer. Permut. & passim*, non valde inconveniens videri potest. Verum, quod ad ipsam hujus Dissertationis Methodum, eam hoc modo institui, ut 1. *cap.* de contractibus hisce in genere agerem, cum ratio a generalioribus ad specialiora descendendum esse doceat. Tum 2. *cap.* omnibus præmisi rerum permutationem seu contractum do ut des, tanquam omnium frequentissimum ac dignissimum: licet in ff. alia Methodus exstet, ibi enim æstimatorius contractus cæteris præponitur; sed eam ideo neglexi, ut etiam regulares contractus præponerentur irregularibus. 3. *cap.* de tribus reliquis ordinariis seu regularibus egi. 4. *cap.* de primo irregularium, qui tamen expressum titulum in ff. habet, sc. de contractu æstimatorio. *Cap.* 5. de cæteris extraordinariis casibus, qui non ita etiam comprehenduntur sub 4. vulgatis speciebus, do ut des, &c. atque minus adhuc cum nominatis conveniunt: Demum *cap.* 6. adjeci Actiones, quæ nascuntur ex hisce contractibus, sc. actionem præscriptis verbis, quæ per se, & illam, quæ per accidens ex quibusdam horum



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

contractuum oritur: Scilicet condictionem, *causa data causa non secuta*: ut ita causam & effectum cunjungerem, ad exemplum Imp. *in tit. ult. lib. 44. ff. de Obligationib. & Actionibus*. Cæterum, ut æquus Lector hanc causam, vel quæcunque offendiculo forent aut perperam posita viderentur, æquo animo suscipere velit, submisse peto: & si quandoque, stili immemor magis realitati studens, ingeniis delicatis fortasse displicerem, aut alicubi in hac difficili materia rem non acu tetigerim (quæ nil quam humana ac nobis hominibus frequentia sunt) adeoque qui excusabit, eum Benevolum dico; sin secus, nil curo, nec mea refert, nec interest, quicquid agant Malevoli: quos tamen nullos extituros præsumo. Sed velim porro observes, Benevole L. præsentem materiam hodie quidem quotidianos & usitatissimos contractus comprehendere, jure civ. tamen non ita frequentes habitos; sed variis figuris ornamentisque involutos, adeoque inter difficillimas & subtilissimas juris civ. partes merito numerandos: Etenim Astræa Romana hic magis quam alibi ornata, comata ac reformata videtur: & revera quantum non est mutata ab illa, quæ quondam ex naturali fonte orta pure vigebat, tantum dotibus naturæ exuviisque induta, naturæ suavis filia? Sed hæc & similia animum non abstrahebant, quo minus dictam materiam eligerem, propter usum hodiernum, scil. contrahentium, non vero disputantium, & ob naturalem æquitatis tenorem & quæ sunt istiusmodi plura. Namque omnes juris partes haberent quidem tale quid, quod non ita placeret: Cum nec omnia nec omnibus æquo modo placeant. Et sæpe fit, ut dicendum sit, sensu tamen convenienti, secundum illud Medææ, *video meliora proboque deteriora sequor*. Sed vela sunt contrahenda: ac quæ hic amplius dicere vellem, Benevolæ cogitationi Lectoris relinquam: ne quoque prolixa præfatione excedere videar modum datamque licentiam ex mente Imperatoris in *d. l. 1. ff. de orig. J.* Igitur rem ipsam ductu & auspicio venerandi summi Numinis aggredior, sequens planissimam rationem, & documentum illud ejusdem Imp. Justiniani, *Nov. 6. in princ.* cum ait: *Bene autem universa geruntur & competenter, si rei principium fiat decens & amabile Deo. Cujus deficiente auxilio nil unquam commode recteque geri potest*: Quod confirmatur *in Novell. 164. princ. Nov. 18. pr.*

DIS-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

# DISPUTATIO JURIDICA
## *INAUGURALIS,*

# CAPUT I.

## *De Contractibus Innominatis in genere.*

### THESIS I.

Ex ratione igitur in præfatione propoſita non inutile duco inquirere ac demonſtrare contractuum naturam eorumque fontem: nempe quod ad hæc attinet, eadem fere eſt ratio horum contractuum ac omnium conventionum in genere, quarum originem ex jure gentium ſeu jure naturali deſcendere, affirmatur ab Ulpiano in *l. 7. pr. ff. de pact.* nec non a Paulo in *l. 1. ff. locat. cond.* & *l. 1. pr. & §. 2. ff. de contrah. emt.* Apud gentes enim ante quartam Monarchiam ſeu erectionem Reipublicæ Rom. hæ & reliquæ conventionum ſpecies fere omnes (ſc. quædam, quamvis juris naturæ fundamento nitantur, tamen aliis gentibus aut populo Romano primitus in uſu non fuere; ſed poſtea apud Romanos ſuam formam & vim acceperunt, veluti ſunt verborum obligatio, pacta legitima, &c. *l. 5. de juſt. & jur. Vid. Hub. ad tit. inſt. de oblig. n. 3.*) quoque uſu, ex naturali ratione, receptæ erant: quoniam evenit ut ubi unius indigentia & alterius eſſet copia *d. l. 1. pr. ff. de contr. emt.* & cum unus naturaliter ad hoc, alter ad illud agendum magis diſpoſitus ac idoneus eſſet; non enim omnia poſſumus omnes: quamvis natura quidem omnes homines judices (ut eſt in proverbio) non tamen artifices fecit: evenit, dico, ut alter ope, auxilio & rebus alterius indigeret. *v. H. Grot. introduct. l. 3. c. 6.* Et quoniam natura cognationem quandam inter nos homines conſtituit *l. 3. ff. de juſt. & jur.* ſequitur naturale eſſe, hominem homini benefacere: ſunt enim homines hominum cauſa generati (nempe ſecundario ut loquuntur in ſcholis) ut alii aliis prodeſſe poſſent: inquit *Cic. l. 1. de offic.* quod etiam maxime tacit ad ſocietatis humanæ conſervationem: unde Seneca *l. 4. de benef. c. 18.* quærit: *Num quo alio tuti ſumus, quam quod mutuis juvamur officiis?* (& hac forma reſpondet) *hoc uno inſtructior vita, contraque incurſiones ſubitas munitior*

*eſt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

*est beneficiorum commercio.* Qua de causa media quædam conventionum & obligationum inventa & adhibita sunt.

II. Hinc contractus benefici, ut donatio, commodatum, mandatum, depositum, &c. inde vero alii contractus non gratuiti nati sunt: & sic cum res pro re dabatur, permutatio prodita est, *d. l. 1. pr. ff. de contr. emt.* quam postea subsecuta emtio venditio, quando pecuniæ usus propter commoditatem commerciorum & utilitatem publicam introductus erat *d. l. 1. pr.* Et ex rerum vel operarum conductione consensu contracta societatis contractus: & ita porro in cæteris negotiis ac conventionibus, æquitas naturalis & æqualitas rerum observata est, *Grot. d. l. & cap. 1. eod.* ne alter cum alterius injuria & damno locupletaretur: quod juris naturæ æquitas postulat *l. 206. ff. de R. J.* & ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur, contra *l. 74. ff. eod.* ac ne alias societas humana destruatur: maxime cum ad pacem colendam cum omnibus naturali appetitu societatis homo natus & creatus sit, *v. Grot. l. 1. c. 1. §. 3. de jur. Bel. & pac.* Non tamen ita ut solâ societatis civilis culturâ principium Philosophiæ moralis seu legis naturæ summa absolvatur: uti hoc contra Hobbesium: Aliosque eleganter docet, *vir Clariss.* D. G. de VRIES *in hac Trajectina Academia Philosophiæ Professor celeberrimus, mihi ex animo grato omni honore debito & reverentia perpetuo colendus. Exercitat. de lege naturæ thes. 23. & seq. v. & exerc. de imperio & obseq. thes. 2.*

III. Sed quamvis dicti contractus quod ad originem suam, æque apud alios populos in usu fuerint, non tamen eodem modo, ut quidem postea apud Romanos: Hi enim suis sanctionibus & constitutionibus D. Astræam hac parte quoque tam varie ornarunt ac formarunt: *v. Cl. Voet. in Comment. ad tit. de pact. n. 9.* ut in hoc articulo & in aliis sæpe vix ab exteris gentibus cognosci posset: quis enim innominatum contractum seu quod non habet suum nomen sed causam, placitumque aliquod tale admittens pœnitentiam, pacta nuda, eaque inefficacia, pacta legitima, verborum obligationes & infinita talia, cognovisset? nisi apud Romanos in foro Quiritum: unde natæ sunt divisiones innumeræ, solennitates, ac diversæ formæ rerum, negotiorum & conventionum, quæ ex naturali ratione non ita profluebant & jure gentium plane ignotæ erant: Nempe illud jus & jus naturæ non agnoscunt inter contractum & nudum pactum differentiam, *Hug. Grot. de J. Bel. & pac. l. 2. cap. 12. n. 3.* quæ jure civili constituit primam divisionem *conventionis* seu *pacti* in genere *l. 1. §. 3. ff. de pact.* quod est duorum vel plurium in idem placitum consensus *l. 1. §. 2. ff. eod.* qui consensus si in nudis placiti finibus consistat, *nudum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

*dum pactum* vocatur: ſi vero illa conventio *nomen* vel eo deficiente *cauſam* habeat, *contractus* erit *l. 7. §. 1. 2. & 4. ff. eod.*

IV. Unde conſequitur ſubdiviſio contractuum in *nominatos*, & eos qui *cauſa* ſubſiſtunt ſeu *innominatos:* quæ diviſio & denominatio etiam jure gentium ignoratur (uti in genere de conventionibus dictum) licet ipſa hæc negotia gentibus ſatis uſitata fuere: & præſertim prima ſpecies innominatorum contractuum, ſc. Permutatio, quam præ aliis antiquiſſimam eſſe eleganter docet Paulus, cum inquit: *Origo emendi vendendique a permutationibus cœpit: olim enim non ita erat nummus: neque aliud merx aliud pretium vocabatur; ſed unuſquiſque ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum, utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit ut quod alteri ſupereſt alteri deſit. Sed quia non ſemper nec facile concurrebat, ut cum tu haberes quod ego deſiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles: electa materia eſt cujus publica ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubveniret.* &c. *l. 1. pr. ff. de contrah. emt.*

V. Et ſic intelligimus quomodo olim ſolebant, antequam pecunia in uſu erat, res pro rebus, uti etiam res pro factis, nec non facta pro factis, & facta pro rebus permutare ac communicare: quæ negotia nihil aliud ſunt, quam quæ jure civili in *l. 5. ff. de præſcript. verb.* & alibi vocantur contractus, do ut des, do ut facias, facio ut facias, & facio ut des. Quod non tantum ex infinitis exemplis veterum, in profanis *v. Grot. d.l.* & ſacris, ut ex illa permutatione primogenituræ Eſavi & Jacobi *Gen. cap. 25. v. 30*, &c. conſtat: ſed etiam ipſa rerum natura, id vix aliter fieri potuiſſe, dictat: ſi enim ponamus lunicolas ſeu novæ alicujus terræ incolas: inter illos ab initio procul dubio multa igneta eſſent, quæ tamen ſucceſſu temporis uſu & inventionibus hominum recepta & cognita forent: quemadmodum hoc revera priſcis temporibus ab initio mundi factum fuit, in modis contrahendi, permutandi & in rebus omnibus commode magis ordinateque componendis.

VI. Hinc patet ergo quod uſus horum negotiorum, quæ jure civ. innominatorum nomine veniunt, æque apud alios populos obtinuit quam apud Romanos: ſed inde tamen non eſt concludendum, differentiam inter innominatos contractus & nominatos jure civ. a ſola denominatione pendere: abſurdum enim foret in reali & morali Diſciplina, differentias ſpecierum tantum à nominibus petitas eſſe: ſed obſervandum eſt, cum nomina nihil aliud ſint quam ſigna & notæ differentiarum; verum diſcrimen inde natum eſſe: quod quidam contractus

B valde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

valde frequentes, majoris necessitatis & quotidianæ utilitatis in civili societate reperiebantur. Ut emtio venditio, locatio conductio, societas, mandatum, &c. in quibus etiam præterea ex solo consensu obligatio nascitur, ita ut in his ne quidem scripturam, neque præsentiam, aut verba adhibere, nec dari quicquam, ad obligationem constituendam necessum sit: ob eandem rationem dictam ut videtur *arg. pr. inst. de obl. ex consens. l. 2. ff. de obl. & act.* Quidam vero non tam frequentes, & præsertim, quia non ita ad mercaturam pertinebant, ex iis, certæ & speciales actiones cognominibus suis quibuscunque convenientes non ita sunt proditæ; nec speciales formulæ eorum nomine exstabant quemadmodum in contractibus nominatis: ideoque certis nominibus, signis aut indiciis simplicibus non ita sunt designati; sed istiusmodi contractus interveniente causa subsistentes, vel nomen suum non habentes, id est, innominati vel simili modo, expressi reperiuntur *t.t. de Rer. Perm. & Præsc. v.* Præterea nonnullæ conventiones ad determinatas & certas classes facilius poterant redigi: ut emt. vend. locatio, societas, &c. adeoque determinatam certamque legibus naturam, certas in foro Romano formulas, assiduoque hominum usu certa nomina acceperunt; quibus enunciatis, quia statim quilibet vim & effectum totamque eorum sequelam intelligebat a nominibus quoque nuncupari cœperunt, *Grot. de J. Bel. & Pac. l. 2. c. 12. n. 3.* Quædam autem negotia cum essent rarioris usus, & magis incerta ac vaga a contrahentium varia dispositione & placito pendentia, non ita certis limitibus circumscribi, eorumque diversos casus limitari, atque certis nominibus designari poterant. *Grot. d. l.* Ex quibus clare percipimus, priores illos *nominatos* dictos, cæteros vero ad *innominatos contractus* relatos fuisse.

VII. Cæterum quod ad vocem Contractus, eam a contrahendo dictam esse, & ex etymologia significare ultro citroque obligationem, quod negotium Græci συνάλλαγμα vocant, docet Ulp. in *l. 19. de V.S.* ubi potius tamen Grammaticam nominis significationem vocabuli *contrahere* tradit, quatenus differt ab *agendo* & *gerendo*, quam Juridicam definitionem contractus: constat ex ipso titulo de *verb. sign.* sub quo hæc lex relata est a Triboniano: & quia hæc lex est excerpta ex *lib. 11. Ulp. ad edictum* in quo de verborum signifiatione potissimum egit, ut patet ex inscriptione *l. 1. 7. & 11. ff. de min.* licet varii varie hic dissentiant cum *Goedæo ad d. l. 19.* Sed hi a DD. *ad d. l. 19. & ad t. t. de pact. & reb. cred.* satis clare & prolixe refutati sunt, *v. Cl. Voet. in Comment. ad d. loc. Bachov. ad t. de pact. lit. D. & Wißenbach. d. l. 19.* Ideoque hæc pluribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

pluribus non persequimur : verum sufficiat nobis veritas ita paucis demonstrata : quod sc: Contractus in *d. l.* 19. sumatur in strictissima significatione ; ita ut sub ea tantum comprehendantur contractus δίπλευροι seu ultro citroque obligatorii, non vero reliqui contractus ab uno tantum latere obligantes, seu (ut DD. loquuntur) μονόπλευροι : veluti mutuum & stipulatio : sic & innominati contractus, quando ab una parte tantum quid præstitum est: is enim, qui præstitit, ipse non obligatur alteri: ut infra latius videbimus: verum licet hi contractus respectu initii plerumque sint μονόπλευροι, tamen ex post facto etiam aliquando δίπλευροι dici possunt : uti hoc ostendit *Wissenb. ad l.* 19. *de V. S. disp.* 3. Contrahere porro in latissima significatione & magis impropria, dicitur de omni facto ex quo obligatio nascitur, sive sit pactum, sive delictum, quasi contractus, seu pactum legitimum &c. vid. *l.* 20. *ff. de judic. l.* 52. *ff. de re jud. junct. l.* 21. §. 5. *rer. amot. l.* 1. *ff. de leg. l.* 7. *C. de his quæ vi. met. caus.* atque hoc sensu *Aristoteles Philosophorum quondam facile Princeps l.* 5. *Ethic.* 7. quosdam dicit contractus involuntarios alios, voluntarios *v. Boeckelm. ad t. de pact. n.* 4. In vulgari autem & propria significatione sumitur pro contractu vero & propriè dicto *l.* 33. *de condict. indeb. l.* 15. *l.* 22. *de præscr. verb. l.* 5. §. 3. *de mort. caus. don.*

VIII. Et tum ita definiri potest ex *l.* 7. §. 2. *de pact. quod contractus sit conventio habens nomen, vel, eo deficiente, causam, sui natura obligationem & actionem ad agendum efficacem producens.* Per genus, quod est conventio in hac defin. distinguuntur contractus a delictis, quæ non fiunt per conventionem *l.* 26. *l.* 35. §. 1. *de verb. obl.* Differentia specifica (ut loquuntur Logici) hic est ab effectu & forma desumta: contractus enim effectus est, quod producat *obligationem & actionem:* in quo distinguitur a nudo pacto. Quod quidem obligationem naturalem & exceptionem de jure civ., non vero actionem producit *d. l.* 7. §. 4. *ff. de pact. & l.* 10. *C. eod.* Nec aliud Jure Canonico obtinere *arg. Novell.* 18. *cap.* 5. *in pr.* Confirmat *vir. Cl. D. Wess. Bertlingius in Acad. Groningæ & Omlandiæ Juris Professor Celeb. studiorum meorum fundator primus, non nisi cum grati animi testificatione commemorandus, in Nucleo juris controv. dodec.* 17. *assert.* 2. De moribus *v. Cl. Voet. in Comment. ad tit. de Pact. n.* 9. *Gudelin. lib.* 3. *c.* 5. *Grot. Manud. ad jurispr. Holl. l.* 3. *c.* 1. & de J. Can. dissentientes *v. S. van Leuw. cens. forensi. lib.* 4. *c.* 2. *n.* 2. *& Fachin. lib.* 2. *c.* 100. Præterea pacta nuda nec proprium nomen, nec causam habent, uti de Contractu dictum. Et quidem *sui*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

*natura* actionem producens: quæ forma seu modus producendi obligationem & act., eos distinguit tam a pactis legitimis, quæ producunt obligationem & actionem vi legis *l. 6. ff. eod.* quam a pactis adjectis, quæ quidem actionem pariunt, non tamen ex se & sui natura; sed vi contractus cui adjecta sunt *d.l.7.§.5.ff.eod.* Verum hic & alibi possem videri nimium a via recedere, nisi hæc tanquam postulata, quæ postea usui erunt, præmittenda considerarem: & ut ita contractus innominati ab aliis distinguantur. Contractus dividuntur in *veros* & *quasi* contractus sive improprios: qui sunt negotia non turpia, ex quibus jure civ. nascitur obligatio, etiam inter invitos & ignorantes, tanquam ex conventione *v. tit. inst. de obl. quæ quasi ex contr. l. 13. in f. ff. commod. l. 32. de reb. cred.*

IX. *Verus contractus* seu proprius est qui constat vero manifestoque consensu *ut sup. defin.* Estque vel *nominatus* vel *innominatus* seu *causa* subsistens. *l.7.ff. de pact. & passim. Nominatus* est qui gaudet speciali & excellenti nomine, nec non forma & actione nomini suo conveniente. Cujus differentia ab innominatis ex hac definitione patet, *& sup.* jam partim demonstrata est. Sed illæ conventiones, quæ proprie hujus loci sunt, & quibus nominis loco causa subest, unde vim capiant, ac a juris N. conditoribus, ad contractus innominatos relatæ sunt *d.l.7. & l.2.3. & passim in t. ff. de præscr. verb. l. 1. pr. ff. de æstim.* ab aliis politiore locutione gaudentibus etiam non nominati, seu nec nominati nuncupantur, & (ut ita dicam) causales dici possent, vel quibus causa subest *d. l.7. §. 2. ff. de pact.* Sed hoc parum refert, modo de re constet.

X. Atque hoc modo recte definiri posse videntur, quod nempe *contractus innominati, sint contractus qui interveniente causa obligationem & actionem ad agendum efficacem producunt, non habentes proprium nomen, nec formam specialem, nec actionem nominibus istiusmodi ita convenientem d.l. 7. l. 45. de pact. l. 1. l. 3. ff. d. præscript. verb. l. 1. de æstim. l. 1. §. 2. de rer. perm. l. 3. C. eod.* Ex qua def. etiam apparet horum contractuum separata natura a contr. nominatis, nec non a pactis, & delictis. Dixi enim horum negotiorum genus esse *contractum:* quia ex conventione & consensu interveniente causa oritur ac inde validam obligationem actionemque producunt: atque in multis saltem generalioribus naturam omnium contractuum sequuntur *t. t. de rer. perm. & præscr. verb. Qui int. causa*, per quam in def. non intelligimus causam impulsivam aut finalem, quæ paciscentes movit ad conventionem ineundam: ut quidam somniaverunt, dicit *Vinnius tract. de pact. c. 8. n. 8.* cum in

his

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

his negotiis non tantum, ſed in omni conventione finis aliquis propoſitus ſit paciſcentibus: & cum in nudo pacto etiam ſit affectus ad contrahendum, qui tamen, licet conſenſus hic adſit, ante dationem vel factum, contractum non facit; verum nihil eſt, quam nudum pactum, unde non naſcitur actio *d. l. 7. ff. & l. 21. C. de pact. l. 21. C. de tranſ. l. 3. C. de rer. perm.* Licet cauſa in jure ſæpe etiam ſignificet rerum originem, cauſam finalem, impellentem & præteritam *v. l. 1. l. 9. l. 14. & l. ult. ff. de condict. cauſ. dat. C. non ſec.* Et ſic cauſa etiam rei opponitur *l. 1. ff. de condict. ob turp. cauſ. l. 52. ff. de condict. indeb.* Nec non conditionem ſignif. *l. 3. l. 17. C. de cond. ob C. dat.* Inde tamen non eſt concludendum iſtiuſmodi cauſas in hiſce contractibus ſimul adeſſe non poſſe. At cauſa hic proprie ſignificat præſtationem ſc. dationem vel factum ea mente, ut viciſſim quid præſtetur, factam. *d. l. 7. §. 2. ff. & l. 45. C. de pact. l. 1. §. 2. ff. de rer. perm. l. 3. C. eod.* Quare & contr. innominati hoc reſp. ad reales referri poſſunt, cum in his etiam rei traditio interveniat *arg. tit. inſt. quib. mod. re contr. obl. l. 1. ff. de obl. & act.* Ac proinde origo obligationis efficacis in his contr. innom. non a nudo conſenſu; ſed a cauſa, id eſt datione vel facto ad conſenſum accedente, proficiſcitur: qui enim a ſua parte quod placuit præſtat, non facit id ex neceſſitate obligationis ſeu potius nudi conſenſus, quia nuda conventio nec obligationem civ. nec actionem parit, ſed quidem exceptionem *d. l. 7. §. 4. ff. de pact.* (ubi veroſimile eſt ſequens comma inter vocem *cauſa*, & *propter* eſſe ponendum, vel alias pro *propter* leg. præter) & *l. 10. C. eod.* Sed hoc facit, ut adverſarium, qui itidem nulla juris neceſſitate, ante cauſam intervenientem adſtrictus erat, illa præſtatione efficaciter obliget: atque hinc eſt quod præſtatio illa non ſolutio, quæ debiti eſt; ſed datio appelletur *d. l. 7. §. 2. &c.* & illa fit ob cauſam futuram, ut viciſſim quid detur, & ad obligandum eum qui ipſe antea obligatus non erat: ſecus quam in nominatis contractibus, ubi ſtatim poſt ſeriam conventionem, ſi requiſita quædam adſint, obligatio naſcitur: & præſertim in contractibus conſenſualibus; uti in emtione v., locatione cond. ſocietate, & mandato, in quibus etiam antequam ab altero contrahentium quid præſtitum eſt; modo de pretio aut merce *pr. inſt. de emt. vend. pr. I. de loc. cond.* vel pro ratione & natura contractus, conventum ſit, naſcitur obligatio & actio *t. t. I. de obl. ex conſ.* adeoque in Nominatis, excepta ſocietate & mandato *§. 4. I. de ſoc. §. 9. I. de mand.* non eſt locus pœnitentiæ: in Innominatis vero ob pœnitentiam rem datam repetere licitum eſt: uti hoc ex ſingulis ſpeciebus infra latius patebit.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

Dixi: *& actionem effic. producunt*: sc. non quidem vulgarem & usitatam; sed extraordinariam in factum præscriptis verbis *l. 1. ff. de præsc. verb. d. l. 7. §. 2. ff. de pact.* & passim.

XI. Dixi porro: *qui non habent proprium nomen*, quod secus est in nominatis, qui eleganti & proprio nomine ornati sunt; ut emtio, mutuum, depositum, commodatum &c. Nec obstat, quod permutatio & contractus æstimatorius etiam videantur habere proprium nomen: quia permutatio ad contractus innominatos refertur, quatenus olim non habuit certam & specialem formulam nec quoque nunc ita specialem formam vel actionem *v. Boeckelm. in comment. ad tit. de præsc. verb.* §. 5. Sed generalis actio innominatorum contractuum, sc. incerti præscriptis verbis inde competit: licet huic contractui quidem specialius quodammodo applicata sit, de quo infra latius *cap. 2. & 6.* Æstimatorius autem contractus non dicitur certum nomen habere, & refertur ad innominatos, quia de eo dubitatum fuit, ad quem nominatorum contractuum referendum esset: sed cum omnium eorum notissimos terminos excederet, ad innominatos pertinere constitutum est *l. 1. pr. de æstim.* & etiam propter eandem rationem, quia sc. nec hic certam formam aut certam actionem habet *d. l. 1.*

Dixi: *Nec formam*: Contractus nominati autem ob commercia & usum frequentem & rationes supra dictas, acceperunt vim quandam & naturam talem, quæ ex ipso nomine a posteriori satis intelligi potest, etiamsi nihil specialiter dictum sit: quare, uti certæ sunt contr. nominatorum formæ, ita etiam de illis certæ actionum formulæ proditæ fuerunt: verum in his innominatis id tantum inerat, quod dictum & factum esset: ac proinde non communis & usitata aliqua, sed ad ipsum factum accommodata formula & actio dabatur: quæ ideo præscriptis verbis dicta est: (adeoque nomini singulorum contractuum innom. non est conveniens) JCti enim agentibus olim formulas seu modos, id est methodum quandam agendi præscribebant: sed cum hoc, in quotidianis actionibus, quæ ex contractibus competunt ad mercaturam magis pertinentibus, valde incommodum esset: postea hæ formulæ actionum quotidie occurrentium, quæ antea apud JCtos latebant, publici juris factæ sunt: at formulæ reliquorum negotiorum innom. non sunt publicatæ nec certo modo conceptæ: partim, quia ad commercia non ita pertinebant, nec tantæ necessitatis videbantur: partim ob eorum infinitam diversitatem nullo modo concipi potuerunt: verum a JCtis peti solitæ sunt *v. infr. cap. ult.* (hic iterum variæ figuræ Astrææ N. apparent. Sed ad rectam rerum intelligen-

ligentiam ita cum umbra veterum dimicandum eſt. Quare hac parte felix & prudens Helvetiorum reſpublica dicenda eſt (& ſi quæ aliæ ſunt in orbe Europæo) ubi hæc & talia cum conſectariis ſuis, non torquent & vexant iſti moderamini ſubjectos) quamquam quod ad illa attinet abrogatis judicibus Pedaneis una cum formulis & cæteris ſolennitatibus, poſterioribus temporibus in utroque genere eodem fere modo res ſe habuerit *t.t. Cod. de formul. & impetr. act. ſublat. d. cap. ult.*

Dixi: *Nec act. nomini convenientem*: ſc. omnibus contr. innom. hoc etiam commune eſt, quod ex iis detur actio *præſcr. verbis*, quæ eorum articulorum ſignificationibus ſeu titulis haut convenit, de quibus infra latius. *cap. ult.*

XII. Et fere omnes contr. innom. ſeu cauſa ſubſiſtentes unius ſunt generis, & plurima iis ſunt communia, præſertim quoad cauſam obligationis & actionis: Sed tamen ut clariorem ideam ſeu conceptum eorum formemus: contractus Innominati non incommode cum DD. dividi poſſunt in *Regulares* & *Irregulares*. *v. Bachov. ad Trutl. diſp.* 30. *th.* 1. *Cl. Vitriar. ad t. quib. mod. re contr. obl. n.* 3. Alii aliter. *Regulares* illi ſunt, quorum nomina ſeu indicia non quidem perfecte & exacte negotia contracta deſignant, ut fit in contr. nominatis, ſed tamen aliquo modo per periphraſin id quod contractum eſt, ſignificant: & ſi non uno verbo, uti eſt *permutatio*, ſeu rerum permutatio, ſaltem negotium ſeu res geſta breviter, vel per circumlocutionem quandam indicatur, ut fit per quatuor articulos vulgares, *do ut des, do ut facias, facio ut facias, & facio ut des*: vel qui vulgo ex his articulis affirmativis exſurgere dicuntur, & huc a DD. referuntur, ſed negative, *ut do ne des* &c. vel dupliciter concepti ſunt, veluti *do ut des vel facias* &c. *v. Cl. Voet. in comment. ad t. de præſc. v. n. 1.* Ad *irregulares* contr. innominatos refero eos, quorum omnium varia negotia non ita ſub dictis articulis comprehenduntur aut legibus deſcripta exſtant, ſed de quibus tantum exempla quædam in jure delineata reperiuntur *in tit. præſc. verb. & alibi.* vel de quibus dubitatum fuit, ad quos contractus nominatos referendi eſſent: ſed cum notiſſimos contr. nominatorum terminos excederent, ad innominatos, data ex iis actione præſcr. verbis vel in factum, relati ſunt: cujuſmodi eſt, contractus æſtimatorius, qui tamen a nonnullis ad articulum do ut des refertur: verum hoc vix tam conveniens videtur: cum in eo non detur aliquid, ut directe viciſſim quid detur, ſed ut aut res reddatur, aut pretium ejus præſtetur: & quia etiam a Juſtiniano dubitationis tollendæ cauſa, cum ſc. proxime accederet ad emtionem vend., ſub

ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

expreſſo titulo ſpecialiter comprehenſus eſt *l. 1. ff. de æſtim. v. Hub. eod. t. n. 2.* Et præterea huc pertinent, omnia cætera negotia contractuum, quæcunque concipi poſſunt, ad hunc modum; ſed propter infinitam eorum multitudinem ac diverſitatem nec legibus Romanis deciſa nec appellationibus aut deſcriptionibus delineata exſtant, nec unquam humana induſtria deſignari potuerunt: natura enim rerum conditum eſt, ut plura ſint negotia quam vocabula, *l. 4. ff. de præſcr. verb.* Et ideo generaliter ſtatutum eſt: quod, quoties contractus exiſtunt, quorum appellationes nullæ jur. civ. proditæ ſunt, & cum per conſequens deficiant vulgaria atque uſitata actionum nomina, hi ad contractus innom. ſeu ad claſſem eorum, qui interveniente cauſa ſubſiſtunt, referri debeant: actioneque præſcriptis verbis agendum eſſe *l. 2. & 3. ff. eod.* de quibus infra. Igitur nos ordinis cauſa, primo de Regularibus contractuum innom. ſpeciebus, *cap. 2. & 3.* & tum de Irregularibus hic porro ſpecialiter agemus. *cap. 4. & 5.*

# CAPUT II.

## *De Rerum Permutatione.*

### THESIS I.

Quemadmodum permutatio, inter conventiones, quæ ad humanam indigentiam, commoditatem & commercia pertinent, omnium antiquiſſima eſt: ut incepimus dicere *cap. 1.* Ita etiam conſtat Permutationem contractuum innominatorum principalem ac frequentiſſimam eſſe, ex ratione ordinis *tit. ff. de rer. permut. & ſeq. l. 5. ff. de præſc. v.* Adeoque ſpecialem titulum propter ſuam excellentiam præ cæteris contractibus innominatis meruit. *v. l. 1. de cont. empt.* Uti hoc variis exemplis veterum & quotidiana experientia etiam demonſtrari poſſet, ſed ne hiſce nimis occupati terminos excedamus, videatur *H. Grotius de J. B. & P. d. l. 2. c. 12. & Puffendorf. in Comment. de J. Nat. lib. 5. cap. 5. n. 1. & ibi Auct. alleg.* At cum tam uſitata ac neceſſaria ſit, quæri poſſet: quomodo ergo hæc ſpecies, quæ præterea nomen præ ſe fert, contr. innominatis accenſeri queat? Quæ difficultas Huberum quodammodo intricatum reddit: cum lectorem ex *Pand. ad inſt. tit. de emt. vend. n. 8.* & exinde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

exinde iterum ad *ff. h. t.* delegat: & revera posset videri contradictionem involvere, contractum aliquem vocare Permutationem & tamen contr. innominatum *t. t. & l.* 1. §. 2. *h.* Nec quoque plane huic difficultati satisfacit ratio differentiæ, quæ petita est ex generalitate Permutationis, sc. quia hoc etiam de emtione vend. & de aliis contractibus dicitur, quod in iis quædam permutatio intercedat, ac proinde proprium nomen non habeat, sed aliis contractibus commune. Sed vix procedit, cum hoc sæpe inveniatur, quod vocabulum seu nomen contractus in diverso sensu accipitur, nec ideo tamen nomen suum perdere aut innominatum esse dicendum: ut rei communio, quæ societati opponitur, aliquando societas §. 3. *inst. de obl. quæ quas. ex contr. nasc.* Sic tot sunt significationes pignoris *v. Hub. ad t. inst. de emt. v. n.* 8. Verum observamus in hac specie (præterquam, ut *sup. dict.* quatenus specialis forma & actio inde non detur) quod vocabulum Permutationis non ita simpliciter dici usitatum sit; sed potius per quandam brevem negotii descriptionem, ut patet ex ipsis rubricis *ff. & Cod. l.* 4. *tit.* 64. quæ non simpliciter conceptæ sunt, ut fit in emtione, societate & aliis contr. nominatis, ubi non dicitur de rerum emtione, &c. uti hic dicitur de *rerum permutatione:* & ideo etiam ut simul differentiam ponat inter hanc, quæ est rerum in specie, & generalem permutationem, quæ in aliis contractibus obtinet, ut mercis & pretii in emtione v.: *Nam vulgo dicebatur rerum permutatione emtionem & vend. contrahi eamque speciem emtionis & vend. vetustissimam esse* §. 2. *I. de emt. v.* sc. antequam nummi inventi erant, usus permutationis frequentissimus fuit; sed cum pecunia esset reperta, al quanto rarior usus ejus est factus *d. l.* 1. *pr. ff. eod.* ideoque inter contr. innominatos relata est.

II. Adde Permutationem alias etiam per brevem designationem negotii vocari do ut des: quod re ipsa non differt a permutatione *tt. de R. perm. & præsc. v.* quamvis dissentiant alii, qui putant in contractu do ut des genus cum genere, in permutatione vero speciem cum specie commutari: *Schotan. in exam. h.t.* &c. Sed minus bene *arg. Nov.* 18. *c* 5. & absque ratione: genus enim proprie tradi nequit, nisi per genus intelligamus rem fungibilem: ut si tibi pecuniam darem, ut mihi stichum tradas: quod tamen plerumque emtio vend. *l.* 5. §. 1. *de præscr. v.* aliquando permutatio est *l. ult. ff. de cond. caus. d. c. non sec.* Verum de genere quidem pacisci potest, sed ut sit pactum validum sc. permutatio, rei traditio desideratur: proinde pactum nudum de re in genere quidem antecedere potest; sed in effectu tamen species est, quæ datur: alias enim



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

nim esset nullius momenti: quia in contr. innominatis causa, hoc est datio vel factum intervenire debet: & pactum de dando inefficax est *l. 3. C.h.t.* & quia idem negotium promiscue appellatur do ut des, & permutatio vid. *l. 1. §. 1. ff. de contr. emt. vend.* §. 2. *inst. eod.* ubi idem quod in pr. dicitur do ut des, postea in fine vocatur permutatio, & vice versa *v. l. 5. §. 1. de præscr. v. l. 3. & l. 7. C. h. t. v. Bachov. ad Trutl. vol. 1. disp.* 30. *th. 4. & 6.* Nisi forte cum species data est, ut res in genere detur, tum potius consideretur tanquam do ut des, quam permutatio: At parum refert quicquid sit, *v. Hub. ad h.t. n. j.* Sed miretur quis, cum hæc quæstio nullius utilitatis sit (ut ipsi fatentur DD.) quomodo eruditi circa istiusmodi ineptias sæpe intolerabiles, ingenium vexare & rationes contrarium defendendi invenire atque integras paginas & amplius hisce commaculare voluerint: maxime cum entia non essent multiplicanda citra necessitatem. Verum ita fit: sic solent figuræ accessoriæ Astrææ N. extrinsecus adjici a DD. quibusdam, ita eorum vestigia quodammodo sequi opertet, & hic & alibi calcanda sunt.

III. Igitur do ut des & permutatio nobis erunt synonomia: quamvis vox permutationis sæpe usurpetur in aliis contractibus, pro mutua rerum translatione seu commutatione *v. Boeckelm. h. t.* §. 1. præsertim in emtione. *v. d. §. 2. I. de emt. v. Hub. d. l. Valer. Max. l. 7. c. 6. Gell. noct. Att. l. 3. c. 17.* & *Plinius nat. hist. c. 55.* dicit: *permutare quidem pretio volunt aliaque merce. Hub. ad t. I. de emt. n. 8. Wissenb. disp. 35. th. 16.* Sed in tali significatione potius est modus quam ipse contractus: & sic ad hos plane non pertinet, & multo minus quando sumitur pro naturali illa rerum vicissitudine, de qua *Horat. l. 4. od. 7.* sic canit: *Mutat terra vices* &c.

*Diffugere nives redeunt jam gramina campis,*
*Arboribusque comæ.*
*Pomifer autumnus fruges effuderit, & mox*
*Bruma recurrit iners.*
*Damna tamen celeres reparant cœlestia lunæ.* &c.

IV. Sed cum sumitur pro conventione, quæ subsecuta causa obligationem parit, ut in *h. t.* & passim, tum est contractus innom. non differens a contractu do ut des (ut sup. dictum): atque ita definiri potest, quod *permutatio sit contractus* innominatus, quo res propria datur, ut accipiens vicissim dominii transferendi causa aliam rem propriam det, *l. 1. pr. §. 2. ff. h. t. l. 3. C. eod.*

V. Ergo quemadmodum de contractibus in genere *sup. cap.* 1. dictum est: ita permutationis natura in eo quoque consistit, ut obligatio tum de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

demum nascatur, quando causa intervenerit *l. 1. §. 2. h. l. 7. ff. de pact.* hoc est cum aliquid datum est: nam tum is, qui accepit obligatus erit ei qui dedit *dd. ll.* verum antea utrique licitum est a pacto tum adhuc nudo impune recedere: quia permutatio ex re tradita initium obligationi præbet *d. l. 1. §. 2. h.* Nec sufficit, rem oblatam, obsignatam, aut depositam esse, citra alterius acceptationem, licet placitum permutationis præcesserit *arg. l. 3. C. h. t.* quia tum manet nudum placitum, quod non facit permutationem *d. l. 3.*

VI. Accipiens vero, uti obligatus est, ita ex pœnitentia ei contractum turbare non licet: quia nemo semel constitutæ obligationi adversario non consentiente renunciare potest *l. 5. C. de obl. & A. l. 3. C. de rescind. vend.* Sed quando transactionis causa quid datum est, id ex pœnitentia rescindi aut revocari nequit: ibi enim alia ratio est, ne sc. lites semel decisæ facile resuscitentur *l. 65. §. 1. ff. de cond. indeb. l. 6. l. 39. C. de transact.* Nec etiam in plerisque contractibus nominatis pœnitentiæ locus est *d. l. 5. C. l. 17. §. 3. Commod. l. 8. C. de contr. emt. l. 6. l. 14. C. de resc. vend.*

VII. Ex dictis patet jam differentia hujus contractus innominati, & emtionis vend. quæ solo consensu obligationem parit; Permutationis vero conventio non nisi re secuta *d. l. 1. §. 2. h. t.* Præterea in emtione venditione merx & pretium (quod regulariter in pecunia numerata consistere debet) distinguuntur: & sicut alius est emtor, alius venditor, ita ab una parte pretium, ab altera merx intervenit: sed hæc in permutatione discerni non possunt, *l. 1. pr. h. t.* (cujus l. verba porro mea facio): sc. multumque differunt præstationes: emtor enim nisi nummos accipientis fecerit, tenetur ex vendito: venditori sufficit ob evictionem se obligare, possessionem tradere & purgari dolo malo, itaque si evicta res non sit nihil debet. In permutatione vero si utrumque pretium est, utriusque rem fieri oportet; si merx neutrius: sed cum debeat & res & pretium esse, non potest inveniri quid eorum merx & quid pretium sit; nec ratio patitur, ut una eademque res & veneat & pretium sit emtionis *v. §. 2. I. de emt. vend.* Et *Vinn. in Com. d. l.* qui ibi quoque notat figuras Astrææ Romanæ. *v. Gothofr. ad d. l. pr. h.* ubi plurimas differentias recenset.

VIII. Verum in multis quoque conveniunt: cum hoc negotium admodum vicinum sit emtioni *l. ult. ff. h. t. l. 2. C. eod.* vel potius, emtio vicina sit permutationi: ut vult *Bachov. disp. 30. th. 3.* ex ratione *d. l. 1. de contr. emt.* Et quidem præsertim respectu usucapionis *l. 4. § 17. ff. de usurp. & usuc.* quod cum hoc non tantum, sed cum omnibus titulis

ad transferendum dominium habilibus commune habet *Bach. d. l. lit. D.* & resp. evictionis, *l. 1. §. 1. h. t. l. 1. C. eod.* sc. si postquam permutatio est celebrata, res ab una parte evincatur, recte ad interesse agetur actione in factum præscr. verbis, vel si malit rem suam repetere, potest per condictionem causa data c. n. s. *d. l. 1. C. h. t.* Sed in emtione v. re evicta non ad restitutionem pretii; sed re evicta ad id quod inteteft actio ex emto comparata est *l. 16. ff. de evict.* Et ratione bonæ fidei & quæ inde sunt præstationum: actio enim præscr. verb. quæ de æstimato proponitur, & ea quæ ex permutatione competit, est bonæ *f. §. 28. I. de act. l. 2. ff. h. t.* Et quidem non omnes præscriptis verbis actiones; sed illæ duæ duntaxat species, propter affinitatem quam habent cum emtione. v. & usum quotidianum *l. 1. de æstim. l. 1. de contr. emt. Vinn. ad d. §. 28.*

IX. Ex convenientia horum contr. consequitur, easdem res quæ emi ac vendi possunt, fere etiam permutari posse *arg. d. l. 1. l. 2. h. & l. 1. §. 2. cont. emt. §. 2. I. eod.* Itaque permutantur res fungibiles & non fungibiles, & merx cum merce, etiam pecunia cum alio corpore, si nempe consideretur ut species seu corpus, & ita intelligenda est *l. ult. ff. de cond. caus. d. c. n. sec. v. l. 51. ff. de legat. 1.* Quemadmodum etiam fit in permutatione numismatum & cæterorum nummorum exterarum Gentium *v. t. C. de vet. numism. pot.* (*l. 11. t. 10.*) unde videtur constare solidos seu ex solido auro veterum Principum veneratione formatos, modo debiti ponderis & speciei probæ sint, eorumque uniforme pretium servetur, vendi posse: & quod vendi potest id etiam permutari potest; sed de peregrinis nummis *d. l. ult.* tamen non videtur accipi posse: quia JCtus de iis vix rationem dubitandi habuisset, ita ut responderet, *in id se procliviorem esse*, sc. ut ibi data pecunia potius faciat permutationem quam emtionem v.; quoniam certi juris est, reprobos nummos, quales sunt peregrini, nec pretium posse constituere, ita ut fiat emtio venditio, nec solutos liberare pecuniæ debitorem *l. 24. §. 1. ff. de pign. act. l. 102. ff. de solut. v. Cl. Voet. in comment. h. t. n. 1.*

X. Quando igitur pecunia cum re permutatur, judici tum mens contrahentium est inspicienda & rei datæ ratio; quanquam contrahentes naturam contractuum haut mutare possint *Vinn. in comment. ad d. §. 2. I. de emt. v. n. 6.* Nec a ratione naturali aut usu quotidiano aut jure civ. alienum esse testatur *Voet. d. l.* pecuniam numeratam etiam permutationem facere, uti quotidie majores nummi minoribus franguntur, quia tunc non ut pretium consideratur. Eadem intentio contrahentium & id quod prævalet observanda, cum partim res partim pecunia intervenerit *arg. l. 1.*

C. h.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

*C. h. t. l. 6. §. 1. & 4. ff. de act. emt. l. 18. de donat.* & sic mercatores Indici hodie variis modis res commutant *v. Hub. ad h. t.* Non obstat quod Paulus dicit in *l. 5. §. 1. ff. de præsc. v. Siquidem pecuniam dem ut rem accipiam emtio venditio est* &c. quæ difficultas ex sup. d. resolvitur. *v. Voet. in com. ad h. t. n. 1.* & *Lyclam. membr. lib. 6. eclog. 1.* ubi notat dissentientes & inter *hos. G. Rauchinum*, qui illis, qui nullam in jure antinomiam statuerent, tantum hunc nodum solvendum objiceret.

XI. Cæterum corpus cum corpore, res mobilis & immobilis, ut domus cum fundo, permutari potest, vel etiam quantitas cum quantitate, ut certi modii tritici cum certis modiis avenæ *l. 7. C. h. t. l. 5. §. 1. ff. de præscr. v.* porro æqualia cum inæqualibus permutantur similia cum dissimilibus, quale exemplum *Justin. in præf. ff. all. §. 11. quod dissimilia permutaverint* sc. *aurea æreis, centena novenariis ex Homero iliad. l. 6.* unde in proverbio est *Glauci & Diomedis permutatio*, quoties inæqualis commutatio significatur.

Sed & incorporales res permutari possunt: veluti obligationes & actiones: sic quoque consensu Episcopi beneficia ecclesiastica inter personas habiles *cap. 5. 6. 8. X. de rer. permut. Cl. Vitriar. in univ. J. tit. quib. mod. re contr. obl. n. 17. Bach. d. l. lit. C. & D.*

XII. Res autem quæ dantur dantis propriæ esse debent ut obligetur accipiens, & naturæ permutationis satisfiat *l. 1. pr. & §. 3. h. t.* plane si ab altera parte vicissim nil datum sit: & sic intelligenda sunt verba Pedii: *Alienam rem dantem nullam contrahere permutationem d. l. 1. §. 3. junct. §. 4. seq.* Alii hunc locum absurdum esse vel corrigendum vel alio modo explicandum putant. Sed male inquit Boeckelmannus *ad h. t. §. 2.* quia nihil convenientius est communibus regulis de contractibus innominatis, quam sententia *d. §. 3.* cujus casus hic est: Titius tibi dedit rem alienam tanquam propriam, ut vicissim dares: & ita Titio non es obligatus, & nulla est permutatio, adeoque Titio non competit actio præsc. verbis: id quod in *§. 4. seq. d. l. 1. h. t.* confirmatur: *igitur ex altera parte traditione facta, si alter rem nolit tradere: non in hoc agemus* (sc. a parte dantis) *ut interest nostra* (actione præsc. v.) *illam rem accepisse de qua convenit: Sed ut res contra nobis reddatur condictioni locus est quasi re non secuta:* Nempe quia hic revera nulla permutatio est contracta, non datur actio præscr. verbis ad id quod interest, si postquam Titius rem alienam dedit, tu cesses rem tuam dare: quia ei non es obligatus, cum vera datio juxta naturam hujus contr. non potest dici intervenisse: sed Titio tantum datur condictio causa d. c. n. sec. ad repetendam rem

alienam quam dedit. *tot. t. de cond. causa dat. c. n. sec.* huic sententiæ consentiunt *Bachov. d. disp.* 30. *th.* 3. *l. d. Hub. ad h. t.* §. 3. *Cl. Voet. in com. h. t. n.* 3. *&* *Vir Consultissimus*, *D. Corn. van Eck in hoc Athenæo Trajectino juris Antecessor Celeberrimus*, *Præceptor & Promotor Meus*, *omni debito honore & reverentia colendus ac commemorandus*, *in princ. jur. civ. ad h. tit. ff* §. 4. Sed quamvis resp. permutationis nihil contractum videatur: tamen datio rei alienæ id efficit, ut transferat conditionem usucapiendi, quando accipiens vicissim rem suam dedit, & alia requisita usucapionis adsint *l.* 4. §. 17. *junct.* §. 18. *ff. de usucap.* effectus tamen non eodem modo explicatur a DD.

XIII. Verum si tu, qui prius accepisti rem aliquam, dederis Titio alienam, ille tecum agere poterit ad interesse d. actione præsc. verbis rem alienam datam non esse *l.* 7. §. 2. *ff. de pact. l.* 1. §. 1. *h t. l.* 29. *C. de evict.* adde rat. *l. ult. h. t.* & §. 28. *j. de act.*

Igitur ad consummationem permutationis requiritur, ut ab utraque parte dentur *Res Propriæ*; alias enim de evictione tenentur, actione in factum *præsc. v. d. l.* 1. § 1. *h. t.* Et res data condictione caus. data, C. N. S. repeti potest *l.* 1. *C. eod.* unde hic nonnihil discriminis observandum inter emtionem v. & permutationem *d. l.* 1. Et quidem *non vitiosæ*: sin secus ex ædilitio edicto experiri possunt *d. l. ult. h. t. l.* 19. §. 5. *de Ædil. Edict.* Præterea, si quis ultra dimidium in permutione læsus sit, remedium *l.* 2. *C. de rescind. vend.* etiam videtur habere locum: quia dicta *l.* 2. *C.* est rescriptum quod potius ad alios casus quoque quam tantum ad venditionem, præsertim ad valde affines, ut permutatio, est extendendum; & quia abundans cautela non nocet: dubitat tamen *Hub. ad h. t. n.* 3.

XIV. Sed ad ejus perfectionem hoc sufficit, si tantum ab una parte res sit data *l.* 5 §. 1. *de præsc. v.* ita ut ei qui rem propriam & sanam dedit, ex hoc contractu competat actio *Præscriptis verbis*, ad id ut alter vicissim rem propriam & a vitiis liberam, vel id quod interest præstet. *sup. dd. ll.* & quidem in arbitrio dantis est, quando alter contractui nondum satisfecit, vel non ut oportet, utrum hac actione ad mutuam rei traditionem vel interesse agere velit: *l.* 5. §. 1. *ff. de præsc. v.* an vero malit vel ob cessationem vel ob pœnitentiam, re integra, rem datam *condictione causa data causa non secuta*, repetere *l. ult. & t. t. de condict. caus. d. c. n. s.* Nisi stipulatio præcesserit, quæ repetitionem & pœnitentiam excludit *l.* 3. *&* 7. *C. h. t.*

Hæc autem actio proprie non nascitur ex contractu innominato, qui

est

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

est verus contractus: sed potius ex quasi contractu, seu tacita quadam conventione, extra id quod expresse actum est *arg. l.* 13. *inf. ff. commod.* v. *Bachov. disp.* 22. *th.* 1. *l. F. Cl. van Eck in princip. ff. ad tit. de cond. caus. d. c. n. sec. n.* 4. *Cl. Voet. d. tit. n.* I. *Bockelm. eod. t.* §. 4. Diss. alii. v. *Hub. ad tit. de cond. caus. d. l. n.* 3.

# CAPUT III.

## *De Reliquis regularibus & expressis Contr. Innominatorum Articulis.*

### THESIS I.

Cum fere idem juris sit in hisce negotiis quod in antecedenti *cap. & cap.* 1. propositum est, (ubi horum sequentium capitulorum fundamenta jam posita sunt) hic breviores erimus: ne idem repetatur & nimis prolixa hæc dissertatio evadat. Sequitur contractus *Do ut facias, qui est contractus innominatus, quando res propria datur ut accipiens aliquod factum præstet, l.* 5. *§.* 2. *l.* 7. *&* 24. *ff. de præscr. verb.*

II. Non refert an illud factum soleat locari (sc. si eo casu res detur: si enim pecunia tanquam certa merces data sit, erit locatio conductio, si tanquam incerta contr. innominatus *d. l.* 5. §. 2. §. 1. *I. de loc. cond.*) an vero non soleat locari: si modo honestum ac licitum sit *d. l.* 5. §. 2.

Factum autem locari solitum est, quod pretio nummario æstimari potest & locari solet: puta dedi ut tabulam pingas *d. l. &c.* Facta non locari solita, quæ pecunia sic non solent æstimari, & huc pertinent omnia reliqua facta, quæ non requirunt industriam aut operam seu actuum frequentiam, ut manumissio. *d. l. & l.* 7. §. 2. *ff. de pact. &c.*

III. Ad facti præstationem accipiens quidem obligatur postquam res data est: sed quia nemo naturaliter ad factum compelli potest: ideo, quando contractui non satisfecerit, adversus eum dabitur actio præscriptis verbis ad id quod interest, aut ut factum promissum præstet *d. l.* 5. §. 2. *l.* 7. *l.* 24. *de præsc. v.* Vel si factum sequi non possit, & alter quod datum est recipere velit, id ei repetere licebit condictione causa *d. c. n. sec. arg. l.* 5. §. 1. *& d.* §. 2. *eod. tit. de cond. C. d.* Sed hæc actio, quæ

ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

ex quasi contractu nascitur, tantum competit (non autem præscr. verbis) eodem modo ut in permutatione, & quando res aliena data est, ad ejus repetitionem *l. 1. §. 3. & 4. de rer. perm.* vel etiam ex sola pœnitentia antequam factum est præstitum, rem datam repetere licet, uti *praced. cap. dictum*, modo res sit integra, vel indemnis præstetur is qui factum suscepit; sed nondum perfecit, *v. l. 5. pr. de cond. caus. d. si pecuniam ideo acceperis, ut Capuam eas* &c.

IV. Sed quæritur, si, postquam factum secutum est, res aliena data evicta fuerit: E. G. si Stichus tibi datus sit, ut Pamphilum manumittas *l. 7. §. 2. ff. de pact.* vel canem dedi, ut cervum, philomelam aut volucrem in mei vel prædii amœnitatem dimitteres seu manumitteres: & post factum præstitum, canis vel Stichus evictus sit: quænam actio tibi dabitur? Res in J. Rom. valde intricata est. DD. comm. juxta *d. l. 7. §. 2. de pact.* contra *l. 5. §. 2 in fin. de præsc. v.* hic simpliciter nullam aliam actionem admittunt, quam communem contr. innominatorum sc. præsc. verbis, & respondent ex *d. l. 7. §. 2.* quod in *d. l. 5. §. 2. in fin. præsc.* id quod dicitur. *Sed si dedi tibi servum, ut servum tuum manumitteres, & manumisisti, & is, quem dedi evictus est: si sciens dedi, de dolo in me dandam actionem, Julianus scribit; si ignorans in factum civilem*, tantum narretur a Juliano ita scriptum esse; sed quod hoc non probetur, *v. Boeckelm. ad tit. ff. de præsc. v. §. 1. Voet. in comment. ad. d. t. n. 4.* ab his Diss. inter alios Huberus, qui plane actionem doli, commisso dolo, concedit ex *d. l. 5. §. 2. in fin.* motus hac ratione: quod, cum utraque sit extraordinaria, sic ipsi non videatur receptum, quod actio quæ ex æquitate ad interesse datur, sc. præscriptis v. in casu doli daretur; sed ita potius, quando dolus abest, actionem vero doli competere quando dolus expresse argui potest: & sic non dari concursum: atque hoc ita JCtis placuisse; quia utraque hæc actio est extraordinaria. Et certe responsio prima ad tollendam pugnam inter *d. l. 7. §. 2. de pact.* & *l. 5. §. 2. inf. præsc. v.* posset quidem in hoc casu difficili procedere. Maxime cum hoc ex verbis præced. *in d. §. 2. l. 5.* confirmari videatur: ubi dicitur, ex hoc articulo vel *condictionem causa data caus. n. sec.* vel *actionem præscriptis v.* dari: *quod his quæ diximus convenit.* Et mox subjicitur *eod. §. 2.* sententia Juliani. *Sed si dedi* &c. quasi JCtus vellet dicere hanc sententiam non æque convenire. Sed tamen ibi in *d. l. 5. §. 2. præsc. v.* referri Juliani sententiam & non probari, non videtur, propter *l. 15. inf. eod. & l. 4. C. d. dolo m.* ex mente JCtorum constare: & in *d. l. 5. §. 2.* non tantum simpliciter narratur Juliani sententia, verum simul traditur distinctio, quod actio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

actio doli detur, cum res aliena a ſciente data eſt; ſi vero ab ignorante aliena data ſit, quod tum in factum civilis, id eſt præſc. verbis detur: quæ diſtinctio inter ſcientem & ignorantem non ita ab Ulpiano & Mauritiano (qui Julianum adhuc vivum notavit, cum eodem tempore cum Juliano vixit *v. Boeck. d. l.*) non reperitur obſervata & notata in *d. l. 7.* §. 2. nam ibi non dicitur quod ſciens alienum ſervum dederit, ſed tantum quod evictus ſit; uti hoc expreſſe diſtinguitur in *d. l.* 5. §. 2. ita ut Julianum forte non ſuper hoc reprehenderit, quod actionem doli concederet in caſu quando poſt factum præſtitum, à ſciente res aliena data evicta eſſet; ſed ſuper hoc capite potius, quod Julianus eo caſu *Prætoriam* actionem in factum putabat eſſe dandam, ideo, quod hic non eſſet Synallagma: At JCtus ait in *d. l. 7. §. 2. Actionem præſcr. verbis ſufficere*, nempe in oppoſito ad actionem Prætoriam in factum (ſed non reſp. actionis doli) & in caſu ignorantiæ rei alienæ: de quo Mauritiani ſent. confirmatur ab Ulpiano *d. l.* 7. ut ſc. actio præſc. verbis *Civilis* illa ſufficeret, quando cauſa ſubeſſet. Et ſic cum *Bockelm. d. loc.* Tribonianus non quidem eſt reprehendendus, quod melius feciſſet ſi omiſiſſet *in d. l.* 5. §. 2. Verba: *Si ignorans in factum civilem*, ſc. Actionem præſcriptis verbis eſſe dandam, ſed quod partim reprobatam ſententiam Juliani *in d. l. 7.* hic in *l.* 5. §. 2. in bonam formam redegiſſet & ad diſtinguendum & probandum, eam adhibuiſſet. Præterea alia Reſponſio non facile eſt recipienda; cum totum jus ita fere everti poſſet, quoniam plurima ex veterum JCtorum libris poſſint dici, tantum dicis cauſa ita referri & narrari. Et propter *l. 4. C. de dolo.m.* ubi Impp. Diocletianus & Maximianus expreſſe actionem doli concedunt cum dolus manifeſte adeſt. Et quia vix datur ratio differentiæ, quare non æque in hoc articulo, qui etiam factum continet, quam in ſequenti facio ut des, actio doli daretur *v. d. l.* 5. §. 3. adde *l. 24. ff. eod.* Præſertim quia dicto caſu, cum poſtquam factum præſtitum, res data evicta eſt, obligatio & actio proprie ex facto naſcatur: & ita hic articulus per accidens in articulum facio ut des converſus videatur, ſaltem reſp. actionis: quamquam alias uniuſcujuſque contractus initium ſpectandum eſt & cauſa *l. 8. pr. ff. mand.*

V. Cæterum ad hunc articulum referunt DD. articulum negative conceptum, do ne facias: & do ut facias vel des, ex hoc & præcedenti articulo mixtum, &c. *v. Voet. d. loc.* (Atqui potius iſtiuſmodi negotiorum genera, ad contractus irregulares ſeu extraordinarios, *inf. cap. 4. & 5.* propoſitos, referri poſſent) nec non ſuffragium de quo in *l. un.*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

*C. de suffrag.* (*l.* 4. *t.* 3.) *Do ut suffragium feras*, est contractus innominatus quo quis aliquo dato vel promisso intercedit apud principem, ut alterius desideria a principe impetranda explicet & commendet *d. l. un. pr.* & §. 1. *C.* vel suffragium fero ut des promissum; quod tunc ad sequentem articulum potius pertinebit. Id quod promittitur in istiusmodi negotio honesto & licito, modicum esse debet: ne alias incidat in crimen ambitus, quod plane illicitum declaratur in *Novell.* 8. §. 1. & *seq.* & *Nov.* 161. per quas constitutiones hæc *l. un. C.* non videtur abrogata: quia *dd. N. N.* principaliter de judicibus agunt, ne corruptis eorum suffragiis, liberent reos, & male judicent *d. N.* 8. vel præsidum *d. N.* 161. v. *Vitr. lib.* 3. *t.* 15. §. 31. & *seq.* Huc refertur quoque *hodierna Assecuratio*, quæ est contractus innominatus, quo quis incertum periculum rerum alio transvehendarum, in se suscipit, ut præmium detur. *vid. Grotium de jur. bel. & pac. l.* 2. *C.* 12. §. 23. *Cic. Epist.* 12. 17. *S. van Leuwen Roomſ. Holl. Regtsg. lib.* 4. *c.* 9. *n.* 3. *Cl. van Eck ad tit. ff. præsc. verb. n.* 2. *Vitr. d. loc.* §. 41. & *seq.*

VI. Vice versa erit alia species contractuum innominatorum, quæ vocatur *Facio ut Des*, in quo contractu factum prius præstitum (hic enim & sequens articulus a facto regulariter incipiunt, vel saltem hæc est intentio contrahentium: unde in his *condictioni causa d. caus. n. sec.* non est locus) initium obligationis facit: & exinde alter vicissim obligatur ad rem tradendam *l.* 5. §. 3. *l.* 22. *de præsc. v.* Et ad id, (uti actio præs. v. omnibus articulis contractuum innominatorum communis est) ita hic datur actio præscr. verbis *d. l.* 22. si dolus non arguatur *l.* 15. *in fin. eod.* verum de dolo agitur, si dolus intervenerit: quam distinctionem ipsa *lex d.* 15. *in f.* præbet, & satis apparet ac probari potest ex connexione §. *præcedentis.* 2. *in fin.* & §. 3. *d. l.* 5. ut ita tollatur difficultas inter *d. l.* 15. & *d. l.* 5. §. 3. *eod.* Et potissimum hic actio doli datur *l.* 4. *C. de dolo m.* quia factum per rerum naturam infectum reddi nequit: sc. ipsum factum, alias quidem aliquando in eandem conditionem restitui potest *v. l.* 4. *de cond. caus. d.* Et secundo quia dolus hic manifeste argui potest, quoniam id egit, ut E. G. alter manumiserit servum, quod revocari non licet §. 6. *I. qui & ex quib. d. l.* 4. *C. de dol. m.* Igitur dolose agit, cum non præstat id propter quod manumissio est facta, vel etiam cum ipse manumisit mancipium, quod, post factum ab altera parte præstitum, dare debebat *d. l.* 4. *C.* & quia ubi interesse probari non potest etiam ex nominato contractu actio doli datur *l.* 8. §. 6. *mand.* Sed tamen actio extraordinaria doli (quæ tantum cum dolus argui potest da-

tur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

tur *d. l. 4. C.*) in hoc articulo quando dolus non eſt commiſſus, actionem præſcriptis v. civ. non excludit, quæ ex æquitate ex omnibus contractibus innominatis generaliter competit, *tot. t. de præſc. v. l. 7. §. 2. de pact.* quia hic non minus eſt συναλλάγμα ex cauſa obligationem & actionem præſcriptis verbis producens, quam in aliis articulis: ergo etiam in hoc articulo facio ut des non eſt deneganda. Diff. Alii qui putant hunc articulum excipiendum eſſe, ita ut hic tantum detur actio doli juxta *d. l. 5. §. 3. quod ſi faciam ut des & poſteaquam feci, ceſſas dare: nulla erit civilis actio, & ideo de dolo dabitur.* Alii contra nullam actionem doli, ſed tantum communem præſc. v. admittunt, & textum *d. §. 3.* ſic & §. 4 *ſeq.* corruptum dicunt. *v. Boeckelm. ad t. de præſc. v. n. 2.* (ſed in hac cauſa ſubtili DD. aliquando ſibi ipſis contradicere videntur) Wiſſenbach. hic antinomiam ſtatuit: quem Hippocraticum eſſe, cum ait a deſperatis abſtinendam eſſe medicinam, Huberus refert *ad tit. ff. præſc. v.* ubi optime hanc litem componit ex conjunctione verborum *fin. §. 2. & 3. d. l. 5.* Et ex confirmatione diſtinctionis datæ, inter caſum doli perpetrati & non commiſſi, in *l. 15. in verb. fin. ff. eod.* ubi Ulpianus regulariter concedit actionem *præſcriptis verbis: Niſi ſi quis in hac ſpecie de dolo actionem competere dicat, ubi dolus aliquis arguatur.*

VII. Ultimus articulus *Facio ut Facias* eſt contractus innominatus, quo factum itidem licitum præſtatur, ut viciſſim factum præſtetur, aut alias intereſſe *l. 5. §. 4 & 5. l. 9. l. 18. 19. §. 1. de præſc. v.* Igitur initium hujus obligationis incipiet etiam a facto præſtito: unde adverſus eum, qui viciſſim factum promiſit, actio præſcriptis v. datur, ad id ut factum præſtet aut intereſſe *dd. ll.* condictio autem ob cauſam datorum, in hoc quoque articulo non habet locum, uti nec in articulo præcedenti, quia factum infectum, fieri nequit. *ut ſup. d.*

## CAPUT IV.

## *De Contractu & Actione Æſtimatoria.*

### THESIS I.

Prima ſpecies irregularium, ſub expreſſo tamen titulo in ff. comprehenſa, eſt *Contractus Æſtimatorius*, innominatus, bonæ fidei,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

quando res æstimata alteri vendenda traditur, ea lege, ut vel eadem restituatur vel æstimatio ejus præstatur *l.* 1. *pr.* & §. 1. *ff. h. t. l.* 13. §. 1. *l.* 17. §. 1. *de præscr. verb.* Quæ rei æstimatio hujus contractus & aliorum maximam differentiam ponit. In genere autem æstimatio vel circa res, vel circa personas versatur: eoque sensu existimationem boni nominis seu illæsæ famæ, & existimationis dispendium, vel infamiam significat in *l.* 2. *C. de pœn. jud. qui mal. &c.* Rei æstimatio aliquando venditio dicitur *l.* 10. §. 4. & 5. unde actio emti datur, *l.* 16. *ff. de jur. dot.* Et emtionis locum obtinere *l.* 5. & 10. *C. eod. vid. l.* 1. §. 9. *C. de rei uxor. act. v. l.* 3. *ff. pro emt. l.* 7. §. 1. *de Publiciana in rem. A. v. l.* 21. §. *ult. de pign. & hypot. &c.* Hoc titulo est adpretiatio, vel taxatio ære facta, seu comparatio quædam statuto pretio, ad mensuram communem pecuniæ *l.* 1. *h. t.* & *l.* 17. §. 1. *pr. v.* Et ex illa interveniente æstimatione qualitas hæc adjecta actioni *præscriptis verbis* sc. *Æstimatoria juxta rubr.* (in multis alias diversa plane ab actione æstimatoria, id est, quanto minoris, de qua v. *l.* 18. *l.* 43. §. 6. *de Ædil. Edict.*) Et *contractus æstimatorius* denominatur, *arg. d. l.* 1. *h. t.* eaque expressa actio de æstimato ex hoc contractu proponitur, dubitationis tollendæ gratia *d. l.* 1. *pr.*

II. Nempe dubitabatur, an non hoc negotium ad emtionem vend., vel locationem conductionem, societatem, vel mandatum referendum esset: verum non ita visum fuit *d. l.* 1. cum manifestæ quædam differentiæ apparerent inter hunc contractum innominatum & dictos alios: non quidem quod hic innominatus, alii vero nominati sint, & solo consensu vim capiant: hoc enim in quæstione erat, & de eo dubitatum fuit, an non propter æstimationem ad emtionem v. pertineret *d. l.* 1. *pr. h.* vel ad locationem, quasi rem vendendam locasse videor, aut conductionem, quasi operas conduxissem, vel ad societatem cum alter rem alter operam præstet, vel ad mandatum, cum re vendenda tradita posset videri mandati speciem continere *d. l.* 1. Sed quidem exinde quod in emtione venditione regulariter res jam vendita, non vero vendenda (ut dictum in sup. data definitione) tradatur: & quidem hic ita, ut vel pretium vel ipsa res restituatur: quod etiam secus est in emtione: & præterea in emtione v. dominium rei propriæ venditæ post traditionem perpetuo jure ad emtorem transit, nisi sit evicta *t. t. I.* & *ff. de contr. emt. v.* At in contractu æstimatorio dominium quidem transfertur cum res datur *arg. l.* 1. *pr. h. junct.* §. 14. *inst. de Act. l.* 75. §. *ult. de O. & A. l.* 13. *pr.* & §. 1. *de præsc. v.* At non ita irrevocabile, ut in emtione: sed aliquando per retentionem accipientis, quod tantum ex postfacto contingit

tingit & præter intentionem contrahentium, quod sc. accipiens fiat perpetuus rei dominus, si ille malit (cum dans rem non repetit) eam sibi retinere & pretium restituere *d. l.* 1. §. 1. *h. t.* Sic variis quoque modis ab aliis contractibus, pro natura cujusque differt: Et ex definitione hujus negotii, natura ejus separata & distincta jam satis patet: Sed in hisce & similibus mentem contrahentium quoque inspiciendam esse, intelligimus ex *l.* 34. *ff. de R. J. l.* 78. *princ. de cont. emt. l.* 44. *pro soc. l.* 7. §. 12. *de pact.* Eorumque voluntatem potius quam verba *l.* 219. *de V. S.* Ideoque licet res æstimata intervenerit, potest tamen facile ex circumstantiis & intentione paciscentium in aliud genus contractus degenerare *l.* 52. §. 3. *inf. pro soc.* sic E. G. quæri posset, si quis rem certo pretio æstimatam tradat, ea lege, ut pretium tanquam lucrum inter contrahentes dividatur, quidnam contractum sit? Et Resp. hoc negotium potius societatem esse: quandoquidem eo casu accipiens operam, alter rem confert, ut lucrum sit commune *arg.* §. 2. *inst. de societ. v. l.* 13. *pr.* & §. 1. *ff. præsc. v. l.* 44. *ff. pro soc. juncta d. l.* 52. §. 3. *eod.*

III. Cum itaque hic contractus innominatus tantam convenientiam cum dictis contr. nominatis habeat, ut quandoque vix secerni possit, & de nomine ejus ambigatur *d. l.* 1. *pr. h.* ac præsertim cum emtione vend. multaque innominatis contr. communia sint: hic tantum ea observanda veniunt, quæ in hoc tit. specialia & huic materiæ magis propria ac majoris utilitatis sunt: ne hoc caput justos terminos excedat, & ne *tot. t.* emtionis, aliorumque contractuum affinium hic adducamus, cum secundum similitudinem & affinitatem res hic plerumque definiantur *v. l.* 5. §. 4. *de præsc. v.* ex eorum sc. convenientia intelligimus contr. æstimatorium esse bonæ fidei, quia tam prope accedit ad naturam dictorum contractuum b. f. & quia hæc actio æstimatoria expresse ad actiones b. f. refertur *in* §. 28. *inst. de act.* quare omnia hic locum habent, quæ in bonæ f. judiciis. *l.* 1. *pr. h. t.* inde etiam consequitur res omnes quæ in commercio sunt, in hunc contractum æstimatorium venire eodem modo ut in emtione v. obtinet *arg. l.* 34. §. 1. *ff. de contr. emt.*

IV. Re autem æstimata recte tradita (secus quam in consensualibus contractibus) demum accipiens obligatur, & quidem ad rem vendendam & pretium vel alias ipsam rem incorruptam restituendam *l.* 1. §. 1. *h. t.* & præterea, si contractus simpliciter innitus sit, & pretium ideo tantum exprimatur, ne minoris vendat, is qui rem certo pretio vendendam acceperat, tenetur danti etiam illam partem pretii, quæ excedit æstimationem factam, præstare: alias sufficit si æstimationem conven-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

tam præstet *d. l.* 1. §. 1. *inf.* nisi aliter conventum sit, ut id quod excederet alter haberet *l.* 44. *ff. pro soc. arg. l.* 34. *de R. J.* at contra si minoris distraxerit, integrum nihilominus pretium solvere debet *l.* 1. §. 1. *inf. junct. l.* 13. *pr. ff. præsc. v.*

V. Accipiens porro obligatur, si duntaxat consenserunt & nihil dictum sit, ad præstationem doli, culpæ latæ & levis *l.* 17. §. 1. *de præsc. v. l.* 5. §. 1. *eod.* ubi culpa simpliciter posita procul dubio denotat levem: quid autem sit dolum, culpam & casum præstare, satis notum est ex primis principiis juris *v.* §. 2. *& seq. inst. quib. mod. re contr. obl. & ibi Vinn.* Verum de præstatione casus fortuiti seu periculi valde ambigue & nimis generaliter loquitur Ulpianus *in l.* 1. §. 1. *h. t.* ubi ait: *æstimatio autem periculum facit ejus qui suscepit.* Hoc enim intelligi potest vel de periculo seu casu fortuito suscepto, vel de æstimatione aut ipsa re data suscepta: ideoque hæc verba explicari debent & temperamentum recipere ex alio loco magis distincto: sc. ex *d. l.* 17. §. 1. *ff. de præsc. v.* ubi idem JCtus se clarius explicat, sub hac distinctione: an is qui dedit, pone quando nummis forte indigebat, rogaverit accipientem: & tum res perit periculo dantis, postquam tradita est; sed nondum vendita: an vero accipiens dantem rogaverit: cum forsitan prius pecuniam mutuo rogasset, sed alter non haberet pecuniam paratam, quapropter ille qui alias istam rem non habuisset venalem, petenti pretium, quod ex rei venditione redactum esset, ex causa mutui concessit: eo enim casu, si res veluti massa auri vel equus casu fortuito perierit, cum accipientis gratia contractum sit, ad eum quoque periculum rei pertinebit *d. l.* 17. §. 1. juncta *l.* 11. *princ. ff. de reb. cred.* & *l.* 34. *pr. vers. his arg. ff. mandat. Paulus recept. sent. lib.* 2. *tit.* 4. *in fin. Cl. Voet. in comment. h. t. n.* 2. Sed si dominus talem rem dederit, quam etiam non rogatus habebat venalem, tum ejus est periculum, & accipiens culpam præstat *d. l.* 11. *pr. de reb. cred. d. l.* 17. §. 1. quemadmodum etiam si res animo societatis ineundæ inter accipientem & dantem, vendenda data intelligatur *d. l.* 44. *ff. pro soc. junct.* §. *ult. inst. de soc. v. sup.* §. 2.

VI. Cæterum ex hoc contractu & obligatione inde nata; datur remedium commune contr. innominatorum; sed huic negotio applicatum: nempe actio *præscriptis verbis æstimatoria* juxta *rubr. h. t.* aut quæ de æstimato proponitur, seu actio de æstimato §. 28. *I. de act.* & *l.* 1. *pr. h. t.* quæ est actio civilis, personalis, bonæ fidei, quæ datur ei qui rem æstimatam vendendam tradidit, adversus accipientem, ut vel pretium rei vel rem ipsam incorruptam restituat *d. l.* 1. *pr. &* §. 1. *h. t.* §. 28. *I. de act.*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

hæc ſc. eſt directa: & quia eſt b. f. conſequitur hic quoque uſuras ex mora præſtandas eſſe *arg. l.* 32. §. 2. *ff. de uſur. d.* §. 28. *I.* Et hæc actio ad rei vel pretii præſtationem tendit: Sed condictio cauſa data *cauſ. n. ſec.* quæ & hic locum habet, tam ex negligentia accipientis, quam ex pœnitentia dantis competit, re integra, ita ut dans hoc ante venditionem tempeſtive renunciare poſſit *arg. l.* 3. §. 7. *de condict. cauſ. d. c. n. ſ.* uti pœnitentiæ locum eſſe in contractibus innominatus in genere dictum eſt *ſup. cap.* 1. *Hub. ad h. t. n.* 3. Dico autem quod modo definita actio *directa* ſit: quod duplici reſp. poteſt intelligi: vel enim dicitur *directa*, ratione actionis *utilis*, quæ datur, quando merces intervenit in hoc contractu æſtimatorio *l.* 2. *h. t.* unde a contrario, cum merces ei, qui tale negotium gerit, non eſt pollicita, hæc actio recte directa appellari videtur *arg. d. l.* 2. Niſi verba in *d. l.* 2. *Hæc actio utilis eſt, & ſi merces intervenit*: ita intelligantur, ut hæc actio Æſtimatoria P. V. quoque utilis ſit, id eſt competat & locum habeat, licet merces intervenerit: propter voculam, *etſi, in d. l.* 2. vel alio reſp. *directa* vulgo dicitur, & hoc in caſu etiam dici poteſt, quatenus in hoc contractu alter principaliter alter minus principaliter obligatur: adeoque actio, quæ danda eſt ei qui rem æſtimatam vendendam accepit, tanquam qui alterum minus principaliter obligatum habet, inde non inconvenienter ex analogia juris, a DD. datur & vocatur *æſtimatoria contraria:* hoc enim non eſt a ratione juris alienum; quia dans ſeu dominus hic eodem modo, ut in mandato, commodato, depoſito vel pignore, minus principaliter obligatur: alter vero magis principaliter, quoniam is qui dedit ſtatim poſt rei æſtimatæ traditionem accipientem ſibi obligat: ſed ab altera parte dans accipienti non ita eſt obligatus, quamdiu res eſt integra & nihil actum geſtumve ſit: at quando accipiens a ſua parte etiam quid præſtitit, cum ſc. rem vendidit & ea occaſione vel circa ipſam rem impenſas fecit, aut a dante ſit deceptus, rem alienam dando, vel aliter (uti hoc colligi poteſt ex variis caſibus, qui ſimili modo occurrunt in contractibus affinibus dict. ubi enim eadem eſt ratio, ibi idem jus erit) tum etiam dantem ſibi obligatum habebit: & ex iſtiuſmodi obligatione dabitur hæc actio *præſc. verbis æſtimatoria contraria*; quæ igitur eſt actio bonæ f. competens accipienti contra dantem, ad id quod intereſt, ſeu in genere ut ſervetur indemnis, *arg. l.* 30. *ff. de act. emt. junct. l.* 1. *h. t. Boeckelm. ad h. t. n.* 4. *Cl. van Eck ad h. t. th.* 7. *Hub. h. t. n.* 3. *Vir Cl. D. ALEX. A. PAGENSTECHER, in Patriæ meæ Athenæo Gron. & Oml. juris Publ. & Priv. Profeſſor Celeberrimus, in Sicilim. ad Comp. Schutz. Lauterb. man.* 2. *n.* 181.

# CAPUT V.

## *De cæteris contractuum innominatorum speciebus irregularibus & non expressis.*

### THESIS I.

Non tantum ex dictis capitibus, quæ specialibus titulis, vel sub regularibus quibusdam articulis ut in *l. 5. ff. præscr. v.* expressa & descripta exstant, nascitur actio præscriptis verbis: verum etiam ex aliis negotiis seu contractibus, quæ sub certis Titulis aut Articulis non comprehenduntur, nec legibus ita regulariter expressa sunt, hæc actio data est: & quidem propter defectum aliarum actionum; quoniam istius naturæ sæpe sunt & tam varia ac multiplicia, ut ad speciem aliquam nominatorum contractuum haut reduci possint: ideoque cum vulgaria atque usitata actionum nomina deficiant, ex iis omnibus contr. præscriptis v. agendum est. Ait Celsus in *l. 2. ff. eod.* in quam necesse est confugere, quoties contractus existunt, quorum appellationes nullæ jure civ. proditæ sunt. *Julianus in l. 3. eod.*

II. Ideoque ad contractus innominatos talia quoque negotia referenda sunt: cujusmodi generis in jure diversis locis reperiuntur, & passim *in tit. de præsc. v.* quemadmodum si tibi vestimenta polienda sarciendave tradidero, nulla ab initio mercede constituta; sed eo animo negotium gestum fuerit, ut postea tantum mercedis nomine daretur, quantum inter nos statutum sit: *Placet* (inquit JCtus) *quasi de novo negotio in factum dandum esse judicium*, *id est præscriptis verbis. l. 22. ff. d. præsc. v. junct. §. 1. inst. locat. cond. v. Boeck. ad t. P. v. n. 4.* Et ita casus distingui potest, ut certa mercede data vel constituta, sc. in pecunia numerata, locatio conductio sit: si vero quis gratis hanc operam in se suscipiat, mandati obligatio erit *d. l. 22.* Sed si certa merces non sit statuta, ut tum huc referendus sit: licet etiam hic casus ad contractum facio ut des referri posset. Sic in casu *l. 17. §. 3. P. v.* Si cum unum bovem haberem & vicinus unum, placuerit inter nos, ut per denos dies ego ei, & ille mihi bovem commodaremus, ut opus faceret, & apud alterum bos periit: commodati non competet actio; quia non fuit

gra-

gratuitum commodatum; verum præſcriptis v. agendum eſt. Ideoque non culpa leviſſima, nec caſus; ſed tantum dolus & culpa levis, ſecundum communes regulas contractuum innominatorum; præſtanda eſt *d. l.* 17. §. 1. & 2. *l.* 5. §. 1. *eod.* Simile exemplum quotidiani uſus, in equis viciſſim traditis. Vid. Apud *Hub. ad tit. P. v. n.* 6. unde notandum contractus innominatos & maxime hos irregulares in effectu ſæpe aſſimilari nominatis contr. ad quos proxime accedunt. *d. l.* 5. §. 4. *eod.*

III. Item ſi tibi rem inſpiciendam dedi, & dicas te perdidiſſe (pone librum, &c.) ita demum mihi actio præſcriptis v. competit, ſi ignorem ubi ſit: nam ſi mihi liqueat apud te eſſe, furti agere poſſum, vel condicere, vel ad exhibendum agere *d. l.* 17. §. 2. *eod.* & ſecundum hæc (*ait Ulp. d. l.*) ſi cui inſpiciendum dedi, ſive ipſius cauſa, ſive utriuſque, & dolum & culpam mihi præſtandam eſſe dico, propter utilitatem, periculum non, ſi vero mei duntaxat cauſa datum eſt, dolum ſolum: quia prope depoſitum hoc accedit. *d. l.* Sic in caſu *legis* 23. *ff. eod.* Duo ſecundum Tiberim cum ambularent, alter eorum ei, qui ſecum ambulabat, rogatus annulum oſtendit, ut reſpiceret: illi excidit annulus & in Tiberim devolutus eſt: Reſpondit JCtus, poſſe agi cum eo in factum actionem.

IV. Itidem ſi quis ſponſionis cauſa annulos acceperit, nec reddit victori, præſc. v. actio in eum competit: ſi modo honeſta cauſa ſponſionis, vel pro virtute certamen fuerit. *l.* 17. §. 5. *eod. juncta l.* 2. & 3. *ff. de aleat. vid. Gothofr. ad d. l.* 17. §. 5. ubi ſponſionis illud exemplum refert, ex *Plinio.* 9. *c.* 35. de unionibus, quos Cleopatra una cœna abſumere voluit, ut ſponſione cum Antonio facta vinceret. De ſponſionibus (*hodie Weddingen*) licitis & illicitis, & quid moribus hodiernis obtineat *v. Grot. introduct. ad I. Holl. l.* 3. *c.* 3. *Sim. van Leuw. Rom. Holl. juriſpr. pag.* 360. *n.* 5. *Groenew. de ll. abr. ad t. de aleat.* & *ad l.* 108. *ff. de verb. obl.* & *ibi Auct. all.* vid. *Magn. Giſbert. Voet. tract. de Luſu Aleæ. Cl. Joh. Voet. in comment. ad t. de aleat. n.* 8.

V. Huc quoque referendum: ſi equos venales tibi experiundos dedero, ut ſi in triduo diſplicuiſſent, redderes; tuque deſultor in his cucurreris & viceris, deinde emere nolueris: quæſitum erat, an ex vendito actio daretur? & Reſp. JCtus, & putat verius eſſe præſcriptis v. agendum: quia inter nos hoc actum, ut experimentum gratuitum acciperes, non ut etiam certares. *l.* 20. *pr. ff. p. v.* Sic quoque ſi quis pretii explorandi gratiâ rem aliquam tradat. *l.* 1. §. *ult. eod.* Nec non caſus *l.* 2. *C. de pact. int. emt. & vend.* Sic etiam tutius eſſe dicitur præſcriptis v. in

factum actionem dari in casu *l. 24. ff. præsc. v.* &c. Observandum autem quod interdum actio præscr. v. etiam extra ordinem detur, quamvis revera contractus aliquis innominatus non intervenerit *v. l. 2. §. 2. ff. de precar. l. 19. §. ult. eod.* sed cum ita negotio alicui, quod per se actionem non producit, vel ex bono & æquo, accommodatur: a DD. tum vocatur, anomala, irregularis & extraordinaria. *v. Bachov. disp. 30. th. 1. lit. b. inf.* & *disp. 24. th. 5. l. c.* At hos omnes casus referre & qui exstant expressi & qui eodem modo concipi possent, immensum opus foret: verum ex propositis exemplis facile colligi potest idem juris esse in similibus casibus, expressis & non expressis *l. 2. 3. & 4. ff. eod.* & quomodo ab aliis contractibus & negotiis distingui debeant: de quo ita Julianus: *Non possunt omnes articuli singillatim aut legibus, aut Senatusconsultis comprehendi: sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui jurisdictioni præest, ad similia procedere atque ita jus dicere debet, in l. 10. ff. de legib. ad d. d. l. 7.*

VI. *Moribus* inter contractus innominatos & nominatos vix aliquam differentiam superesse: nec inter contractus & pacta nuda, unde hodie æque datur actio efficax, modo voluntas sufficienti signo alteri acceptanti indicetur, quam ex contractu: quare nec hodie pœnitentiæ locum esse apparet, nisi hoc tacito partium consensu aliter actum videatur (variant tamen DD. *infr. citt.*) & quæ sunt istiusmodi plura, quorum variæ figuræ mores, simplicem Astræam magis amantes, non observant. Ut testantur DD. & pract. idemque confirmari jure divino & naturæ. *v. Hug. Grot. de jur. Bel. & pac. lib. 2. c. 11. §. 4.* & *introd. ad jurispr. Holl. l. 3. c. 1. & 6. Zyp. not. I. Belg. l. 8. de contrah. stipul. v. Hub. ad tit. ff. de condict. caus. d. c. n. sec.* vid. *Vinn. tract. de pact. cap. 6. & 7.* ubi pacta quælibet, etiam de jure Canonico efficaciter obligare atque actionem producere, probare conatur. *v. & Cyprian. R. ab Oosterga cens. Belg. tit. 35. de pact. pag. 152.* quod tamen DD. comm. de Jur. Can. non admittunt. *v. Cl. Voet. in comment. ad tit. de pact. n. 9. Gudelin. de I. noviss. lib. 3. c. 5.* adeoque hoc non tam ex J. Canonico moribus receptum esse, *quam potius (ut ait Cl. Voet. d. l.) inde, quod gentes pleræque bonam fidem & nudam juris gentium simplicitatem, in servandis iis, quæ placuissent, præferendam censuerint, nimiis Romani juris subtilitatibus, nimis anxie inter pacta & stipulationes distinguentibus, ac prope syllabarum aucupia instituentibus, sic ut verbis, non rebus jura illa scripta jurassis.* Ibique notat *Sim. van Leuwen* lapsum esse *in censur. Forensi. parte I. libr. 4. c. 2. num. 2.* quod affirmet in praxi quoque receptum esse, quod ex nudo pacto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

cto actio non detur. v. etiam *d. cens. f. lib.* 4. *c.* 13. *in fin.* contrarium vero summa ratione niti asserit *Vinn. d. l. cap.* 7. *in fin.* & inquit: *utimur hodie tantum præceptis Naturalibus & Gentium, solennibus illis & scrupulosis juris civilis sublatis. Naturæ autem humanæ nihil magis congruit, quam fidem promissorum servare, ut fiat, quod dictum est, sive nudis verbis id est nudo pacto, sive verbis solennibus, id est stipulatione fides data sit.* v. *Groen. de leg. abrog. ad l.* 5. *ff. de condict. caus. dat. c. n. sec.* & *ad l.* 10. *C. de pact.*

## CAPUT VI.

### *De Actione præscriptis verbis.*

### THESIS I.

Obligationes, earumque fontes, sc. contractus, & Actiones tantam connexionem & affinitatem inter se habere, ut unum absque alio vix ullius utilitatis sit, & vix a se invicem per rerum naturam abesse possint; notum facit ratio cur juris N. Conditores hæc conjungere voluerunt *in rubr. ff. lib.* 44. *t. ult. & Cod. lib.* 4. *t.* 10. Quare breviter hic quoque Actiones ex Contractibus innominatis natis non inconvenienter adjiciendas esse, existimamus. Quamvis autem omnes Actiones originem suam ducant ex Contractibus (& delictis aliisque causarum figuris) seu eorum juris vinculo & sequela, id est obligatione: tamen inde non eodem modo denominantur: etenim nomina actionum plerumque in jure N. desumpta reperiuntur, vel *a Re* quæ in judicium deducitur: ut Rei Vindicatio, petitio hæreditatis, condictio certi, condictio rei furtivæ, Condictio causa data causa non secuta juxta *rubr. ff.* vel ob causam datorum. *rubr. C.* &c. Vel principaliter ab *effectu seu fine* ad quem obtinendum instituuntur: ut sunt actiones, finium regundorum, communi dividundo, familiæ erciscundæ, Noxalis, Tributoria, &c. vel *a lege & nomine Auctorum:* veluti actio legis Aquiliæ, Pauliana, Publiciana, Serviana, &c. *Vel a primis verbis Edicti*: ut actio quod metus caussa. Ita & a *Primis verbis interdicti*, omnes fere quæ ex interdictis profectæ sunt: ut quorum bonorum, uti possidetis *v. t. lib.* 43. Vel *ab ipsis personis:* ut actio institoria & exercitoria. Vel denique & quidem ple-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

ræque *ex negotio seu facto*, unde oriuntur, nomen suum assumunt: quemadmodum ex emtione, actio emti, ex vendito, venditi, & sic locati, conducti, mandati, pro socio, commodati, depositi, pignoratitiæ, ex stipulatu actio, Tutelæ, Negotiorum gestorum. Et sic etiam a *forma agendi vel a forma conventionis* hæc nostra actio (quæ principaliter & per se ex contractibus innominatis nascitur ac datur) *præscriptis verbis* denominatur: & hoc quidem vel ab initialibus verbis antiquæ formulæ, quæ ita concepta videtur: *Præscriptis verbis si negotium gestum esse appareat, Sempronius judex esto*: ut nonnulli DD. volunt *v. Boeckelm. ad h. t.* §. 5. Vel ab eo, quod forma conventionis, proscripta, præscripta, aut perscripta, hoc est integris literis & verbis exprimebatur, ut constaret quidnam inter contrahentes actum esset: quod patet ex *l.* 1. §. 9. *&* 10. *ff. depos. in verb. Sequemur tamen (ut Pomponius ait) & quid habuerunt. Proscriptum & quid convenerit: dummodo sciamus & si quid fuit proscriptum, &c.* Alias ampliores conjecturas, licet non inelegantes, conspiciendas relinquo (vela enim sunt contrahenda) apud *Boeck. d. loc. Cl. van Eck ad h. t. n.* 8. *& DD. h. tit.*

II. Nam cum quædam istiusmodi negocia nec nomen nec formam haberent, adeoque è formula solenni non agebatur, nec quid actum esset uno verbo significari potuit: uti quidem in nominatis verbo, societatis, emtionis v., mandati, commodati, &c. sed necessario totum negotium, quod interveniente causa gestum erat, cum suis circumstantiis, probe declarandum ac demonstrandum erat, ex libello juxta naturam cujusque negotii composito (licet hoc etiam in aliis actionibus interdum fiat, non tamen ex necessitate, uti hic *l.* 1. *& seq. h. t.*) quod intelligimus ex rescripto Imperat. Alexandri *in l. 6. C. de transact.* ubi v. fin. *Aut enim stipulatio conventioni subdita est, & ex stipulatu actio competit: aut si omissa verborum obligatio est, utilis actio quæ præscriptis verbis rem gestam demonstrat danda est.* Et olim quidem in omni genere actionum, modus agendi, a JCtis, qui tanquam oracula consulebantur, litigaturis præscribendus erat: donec postea Cn. Flavius, Ap. Claudii scriba, librum surreptum, in quo Claudius has actiones, præsertim illas certas & è nominatis contractibus descendentes, proposuisset & ad formam redegisset, populo, id munus valde grato, tradidit: ut refert Pomponius *in l. 2. §. 6. & 7. ff. de orig. I.* Sed cum hæ formulæ; quæ jam maximo populi levamento publici juris factæ, de omnibus negotiis non erant conceptæ: cumque civibus periculosum erat suo arbitratu experiri, ob exactissimam anxiamque fori Romani obser-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

observantiam: in cæteris negotiis de quibus actionum nomina publice non exstabant, mansit tamen difficultas consulendi JCtos, qui formulam concipiebant, seu *verba*, quibus, utendum, *præscribebant*, unde actiones Præscriptis Verbis, in quibus & ipsi JCti quandoque labi poterant, ut clientes verbis minus accurate præscriptis causa caderent: quo pertinet jocus *Ciceronis*, ad Trebatium JCtum & familiarem suum, *7. Ep.* 14. *Quod si scribere* (inquit) *oblitus es*, *minus multi jam te advocato causa cadent.* Verum hasce formulas & verborum aucupia (ut loquitur *Hub.h.t.n.* 10.) simplicior posteritas cœpit aversari, donec eas Constantinus, *cunctorum actibus radicitus amputaret*, ut ait *in l.* 1. *C. de formul. & impetr. subl.* Sanxitque sufficere, *si aptam rei & proposito negotio competentem eam esse constiterit l.* 2. *C. eod.t.* Quod revera nihil aliud est, quam more veteri præscriptis verbis agere, ut dictum: adeo ut, ad modum agendi quod attinet, nulla amplios, inter actiones ex contractibus Nominatis & Innominatis, sit differentia: nec ideo nomen Actionis in libello amplius specialiter exprimendum requiri manifestum est, cum narrationem & conclusionem negotio cuilibet aptam & convenientem proponi sufficiat, ex sententia Constantini *in d. l.* 2. Nec aliam moribus hodiernis esse rationem vel stylum fori & curiarum, licet actionum nomina fere in desuetudinem abierunt, plerasque tamen actiones in foro usitatas esse, testantur *Groenew. de leg. abr. h. t. & ad d. tit. C. de Form. & Imp. sub. & rubr. inst. de act. Hub. h. t. n.* 2. & 10. *Voet. in Comp.* §. *ult. Gudelin. de jur. Noviss. l.* 4. *c.* 5. *in vers. tertium.* (hic iterum variæ figuræ Astrææ N. apparent; sed tamen notandæ erant).

III. Cæterum hæc actio præsc. v. alias vocatur *Intentio Civilis incerti l.* 6. *l.* 8. *l.* 9. *h. t. l.* 9. *l.* 22. *C. de donat. & condictio incerti id est præsc. v. in d. l.* 19. §. 2. *ff. de precar. Incerti* autem, quia interesse, quod incertum est, hac actione petitur *dd. ll. & l.* 5. §. 2. *h. t. l.* 24. *d. R. I. & incerta l.* 6. *C. de rer. permut. & præsc. v.* Quia ex incertis contractibus datur & variis aut diversis negotiis applicatur. *Civilis* vero dicitur *dd. ll.* & passim, opposito sensu ad actiones prætorias: quia ex interpretatione Prudentum & ex rescriptis Principum, ad exemplum aliarum actionum civilium, & ob similem rationem propter utilitatem est introducta *l.* 1. *de æstim. l.* 1. *pr. l.* 2. 3. 4. *h. t.* quare etiam utilis dicitur *v. l.* 21, *h. t. l.* 11. *pr. ff. de min. l.* 6. *C. de transact.* Et *in factum d. l.* 1. *pr. l.* 3. 12. & 22. *h. t.* Quia sc. datur ex facto seu negotio gesto unde alia actio non competit. Nempe actio in factum in genere considerata, datur ex omnibns istius-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

modi negotiis ubi facti qualitas plenius narranda & describenda est, & illa est, vel civilis, vel prætoria: Prætoriæ in factum variæ sunt *vid. l.* 12. *§.* 6. *l.* 22. *§.* 10. *ff. mandati. v. l.* 43 *l.* 52. *de R.V. l.* 3. *§. ult. de cond. caus. d. c. & l.* 11. *h. t. junct. §. ult. inst. de L. Aquil.* Civilis est hæc actio præsc. verbis, quæ ita tanquam species actionum in factum recte considerari potest *d. l.* 1. *pr. l.* 3. *l.* 12. *l.* 22. *h. t. & passim v. Boeck. h. t. & Hub. eod. l.*

IV. Igitur ita definienda, *quod actio præscriptis verbis sit actio civilis, quæ plenis verbis rem, uti gesta est, enarrat: aliquando bonæ fidei aliquando stricti juris, ex contractu innominato, competens ei, qui quid dedit vel fecit, ad id ut vicissim detur vel fiat quod promissum est, aut id quod interest præstetur dd. ll. l.* 5. *& seq. h. t.* Unde satis apparet, ut etiam ex supra dictis: cui hæc actio detur, sic & ejus heredibus *l.* 1. *C. de R. Perm.* ut ex communibus regulis de contractibus sufficienter constat *v. l.* 49. *de O. & Act. l.* 4. *C. de R. P.* & adversus quem, sc. eum, qui aliquid accepit vel cui factum est præstitum: Quid petatur hac actione: sc. interesse vel implementum contractus *ut sup. d.* & quomodo hoc judicium sese habeat: nempe quando agitur ex permutatione seu artic. do ut des, & ex contractu æstimatorio, tum hæc actio est bonæ fidei. *§.* 28. *I. de act. l.* 1. *de æstim. v. l.* 2. *§.* 2. *de precar.* Ac proinde quando ex reliquis negotiis instituitur, stricti juris erit *arg. d.* 28. *ut sup. d.* Hæc actio tamen in multis sequitur naturam contr. nominatorum & actionum bonæ fidei, ut observare licet ex *l.* 5. *§.* 4. *in f. & l.* 17. *§.* 2. *h. t.* Et generaliter ex omnibus contractibus Innominatis competit, quos supra ordine collocavimus, & quidem vel expressa legum auctoritate, vel ex æquitate & interpretatione ex similibus negotiis danda est, ex quibus ordinariæ actiones non competunt *d. l.* 3. 4. *eod.* ita enim obtinet ut hæc actio subsidiaria non detur quando remedia ordinaria supersunt *l.* 21. *eod.* sed deficientibus aut *cessantibus proditis & vulgaribus actionibus, cum proprium nomen invenire non possumus, facile descendimus ad eas, quæ in factum appellantur.* Ait Papinianus, *in l.* 1. *princ. eod. v. Hub. ad h. t. Boeckelm. pr. eod. & n.* 5. *& seq. Bachov. ad Trutl. disp.* 30.

V. Quemadmodum hæc actio præsc. verbis magis principaliter & ad contractus implementum competit: ita præterea hic etiam minus principaliter ad contractus innominati rescissionem & dati repetitionem, aliquando datur (sc. tantum in iis contr. innominatis, qui a datione incipiunt, ob rat. *sup. v. d.*) *condictio causa data causa non secuta* juxta rubricam *ff. l.* 12. *t.* 4. vel *condictio ob causam datorum* juxta *rubr. Cod. l.* 4. *t.* 6. quæ est actio civilis, personalis, ex quasi contractu nata, competens ei, qui

expresse

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

expresse ob causam honestam & futuram dedit, ut vicissim quid detur vel fiat, adversus accipientem, ad id, ut rem cum fructibus & accessionibus restituat *v.* §. 14. *&* 15. *I. de act. l.* 3. §. 7. *ff. de cond. caus. d. l.* 65. §. 4. *de cond. indeb. l.* 13. *in fin. commod.* v. *l.* 2. *l.* 6. *C. de cond. ob caus. d. l. ult. ff. eod.* v. *l.* 31. *de R. J. v. l.* 3. §. 2. *l.* 5. *pr. &* §. 2. *ff. & l.* 6. *&* 7. *C. de cond. ob caus. d.* Verum cum jam in antecessum de hisce actionibus sæpe dictum sit: & cum hodie vix usu obtineant, teste *Groen. de leg. abr. ad rubr. I. de act. ad l.* 1. *ff. de æstim. ad rubr. ff. de cond. caus. d.* & *ad rubr. ff. de præsc. v.* hic non ulterius eas describemus: ne quoque hæc Dissertatio nimis Romana & prolixa evadat: maxime cum hæc condictio minus principaliter citra scopum primarium contrahentium, ex quasi contractu nascatur, ut *dict. in def. arg. d. l.* 13. *in f. ff. commod. & l.* 3. §. 7. *ff. de cond. C. l.* 65. §. 4. *de cond. ind. v. Bachov. ad Trutl. Disp.* 22. *th.* 1. *l. F. Vinn. sel. quæst. l.* 1. *C.* 46. *in pr. Boeck. ad tit. de cond. caus. d.* §. 4. *D. Vitriar. in t. de obl. quæ quas. ex contr. nasc. n.* 79. *Cl. van Eck ad d. t. ff. de cond. caus. dat. th.* 4. *& Cl. Voet. in Comment. eod. t. n.* 1. *Diss. Hub. d. t. n.* 3. *cont. D. Thomas. Schutz. & Struv. d. tit. th.* 4. Cæterum de hisce consectariis, & de istiusmodi pluribus, circa hæc observari solitis. *vid. DD. modo Alleg. & Coll. Lauterb. Theor. Pract. d. tit. Sim. van Leüw. cens. forensi. l.* 4. *c.* 13. *n.* 11. *&* 12. Atque sic cum *D. T. O. M.* hæc absolvimus. Qualiacunque autem sint, Benevoli Lectoris judicio committere velim: Sin hæ pagellæ, perversum, aut nimis criticum ingenium, vel petulantem arbitratorem, invenerint: non inconvenienter dicendum & concludendum cum Poëta:

*Difficilem tenui, sub iniquo judice, CAUSAM.*



CO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

# COROLLARIA.

I.

*Principem legibus solutum esse, absque limitatione non procedit.*

II.

*Minor* 25. *annis potest esse judex.*

III.

*Judex cœcus nec admittitur, nec removetur.*

IV.

*Jure Naturali, Gentium & Civili, fera in alieno capta, etiam prohibente & invito fundi Domino, cedit occupanti.*

V.

*Actio Publiciana vero domino non est deneganda.*

VI.

*Omnes servitutes prædiorum perpetuam causam habere debent.*

VII.

*Nobiles mercaturam atque agriculturam, salva nobilitatis prærogativa, exercere posse: nec Rationi, nec Moribus, nec juri Civili contrarium est.*

VIII.

*Rei venditæ, sed nondum traditæ, periculum & commodum ad emtorem pertinere, convenit.*

IX.

*Beneficium* legis 2. C. de resc. v. *etiam ad alios contractus est extendendum.*

X.

*Publice interest, omnium rerum rectam fieri numerationem ac dimensionem,* arg. l. 2. C. de malef. & Mathemat. *Sic, qui se finito seculo XVII. soluturum promisisset, eum, hoc præsenti & currente Anno* 1700. *nondum teneri; sed demum hoc Anno finito, recte conveniri posse, legibus & Rationi (hac ipsa quoque pagina, veritatem ejus, evidenter indicante, ex collatione numeri appositi, & hujus argumenti) conveniens est.* v. §. 2. I. de verb. obl. l. qui hoc Anno 42. ff. eod. l. 44. §. 1. ff. de obl. & act. l. 213. de V. S. *Licet plurimi hodie dissentiant, num seculi sit*

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

HONORI ET MERITIS
*Nobilissimi ac Doctissimi VIRI*,

# D. MICHAELIS BORGESII,

CUM

IN ACADEMIA ULTRAJECTINA
*Habitâ Disputatione publicâ*,

DE

CONTRACTIBUS INNOMINATIS,
Cum summo omnium consensu & applausu J. U. Doctor, Mense Novembri 1700. renuntiaretur.

## EPIGRAMMA.

B*ORGESIUM* si nosse velis, hic disce Quiritum
Explicitas leges, *BORGESIUMQUE* vides:
Eruit ex umbris lucem, quâ donat & ornat
*Astræam*, *Astrææ* jam nova stella suæ.
*Bis Duo Contractus*, quamvis sine nomine noti,
Bis Duo *BORGESIO* nomina laudis erunt.

L. VAN DER POL, JCTUS.
*& in Academia Ultrajectina Professor Ordin.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40



Aan den HEER

# MICHAEL BORGESIUS,

*Als Zijn Ed. in de Utrechtse Hoogeschool tot Leeraar in beide de Rechten wierd ingewijd.*

O vrouw Astrea die wel eer
Zijt naar den hemel opgevloogen,
Daald nu van 't sterrendak eens neêr,
En toond u zelven voor onze oogen!
't Is heden u ter eer een feest,
Een Priester word voor u gekooren;
De vruchten van zijn schrandre geest
Zijn u tot offerhand beschooren:
U word in uwe tempelzaal
Het manlijk wirook aangestooken,
't Is wirook van een zuivre taal,
Waarmede uw Recht word voorgesprooken.
My dunkt ik zie daar op mijn woord
De Rechtsgodin hier nederdaalen,
'k Zie haar, mijn bede is straks verhoord,
Met onbezwalkte glanssen praalen:
Zy kroond met groene lauwerier
Haar nieuwen Krijgsman, die op heden
Heeft onder haare Rechtsbannier
Manhaftig voor haar eer gestreeden:
Dus wierd wel eer bekranst de Held,
Die, van 't Olimpies stof bestooven,

 In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

In 't Griekse renperk hield het veld,
En die alle andren ging te boven:
Dus wierd de Veldheer opgesmukt,
En praalde dus in 't zegepraalen,
Na hy den vyand had verdrukt,
Als Romen hem kwam in te haalen.
'k Wens, Heer BORGESIUS, geluk
Tot deeze Uw nieuwe waerdigheden;
Uw vreugd word nimmermeer door druk,
Of nijd, of tegenspoed bestreeden.
Men noemd de stof wel * ongenoemd,
Het voorwerp van Uw redeneeren,
Doch daar door word Uw Naam geroemd,
Zo ver men houd het Recht in eeren.
O Leeraar van het Recht, vaar voort, betracht Uw plicht,
Zo word of Staat of School door Uw verstand verlicht.

* *De Contractibus Innominatis.*

*Reddunt munificae non sordida praemia Musae.*

Do-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

*Doctissimo Ornatissimoque Juveni*

# MICHAELI BORGESIO,

## Summos in Utroque Jure Honores acquisituro,

*BORGESI, juvenum qui praestantissimus audis,*
*BORGESI, pura qui probitate vales:*
*BORGESI, nostros inter pars prima sodales,*
*BORGESI, Themidis gloria, laus, & amor:*
*Tu, quondam Rectum solers scrutatus & AEquum,*
*Nunc Recti atque AEqui rite Patronus eris.*
*Scilicet Astraeae qui dant sua nomina castae*
*His dat non parca proemia digna manu.*
*Post Cererem in sulcos missam, post mille labores,*
*Sic largo agricolas foenore terra beat.*
*Haec Tibi pulcra dies, meritos quae reddit Honores,*
*Haec quoque, crede, mihi candida semper erit.*
*Dum Tua res agitur, mihi res operosa silere est,*
*Et cupit in laudes ire Camoena Tuas:*
*Sed, si Te novi, non vana encomia curas,*
*Hoc Animus nobis indicat, Osque probum.*
*Ergo silere mihi, quam soli accendere taedam*
*Praestat, vel paucas in mare fundere aquas.*
*Pauca juvat potius votivo ex pectore verba*
*Edere, ut eveniat omnia fausta Tibi.*
*Ad commune bonum valeat Tua Musa, Penates*
*Cum cernes patrios, Jure perite, redux.*
*Dent Tibi fata annos, serosque videre nepotes;*
*Cuncta Tibi summa prosperitate fluant.*
*Interea capiat Te nulla oblivio nostri,*
*Haec precor ut rata sint! Dulcis Amice, vale.*

AD. REETS J. U. ST.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

# AD EUNDEM

dsis Calliope; ſuavi modulamine canta
Carmina, dulciſonum profluat ore melos.
Euge viri juvenes; ſummos agitate triumphos,
Plaude triumphanti, plaude corona frequens;
Ipſe ſat elogii propriâ virtute reportat,
Et dignus præſens quem comitetur honos.
Huic ſua ſedulitas, doctrina, modeſtia ſummum
Delatum juris promeruere gradum.
*Accipe parva mei lætus munuſcula cenſus,*
*Non quæ ſint, ſed qua ſuſcipe mente data.*

G. J. B. L. S. G.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 H 40